

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Cincio Romano a Secretis Pontificis V. C.

Cum essem nuper ruri apud patrios lares reddita est mihi epistola prudenter et summa cum eloquentia a te scripta, in qua, et gratularis mihi prout amicum decet de filio suscepto, et quae ad ejus institutionem spectare videntur, gravissime ornatissimeque prosequeris. Utrumque mihi gratissimum fuit, et gratulandi officium pro nostra amicitia a te sumptum, et quae de educando filio admones; cujus consilia pondus et auctoritatem apud me maxime habere debent, tum quia ab homine amicissimo proficiscuntur, tum vero ab eo, qui in liberis educandis summam curam et praecipuam diligentiam praestitit. Equidem, quod ad me solum attinet, in nutrice diligenda is fui, quem me esse hortaris. In vitae vero institutione, cum per aetatem licebit, nihil a me omittetur eorum quae a te caeterisque doctissimis viris in nutriendis filiis traduntur. Erudietur, quod omnium est primum, in timore Domini: imbuetur moribus, quos nostra fert aetas; demonstrabitur virtutis iter: id agetur, ut parentum eruditio, cohortatio nulla in re defuisse filio videatur. Satis nobis erit, quod sapientis est, praestare, si secus is evaserit, ut procul simus a culpa. Sed, mi Cinci, natura hominum ita jamdudum suo vitio corrupta, ac

depravata est, ut, nisi nobis Deus adsit, nisi labentes sustineat, vani atque irriti videantur esse labores nostri, et cogitationes. Sunt quaedam ingenia hominum ita crassa atque obtusa, ut nullum, ne inculcatum quidem, queant percipere doctrinae genus. Sunt plurium animi ita perversi, ut omnem respuant honestatem. Sunt alii natura leves, inconstantes, impuri, mendaces, improbi, absurdi, ut nullam in his institutionem vitae proficere videamus. Nam veluti in arena si quis frugem serat, irritus fiat labor, sic quorumdam depravatae naturae mentes nulla eruditione, nullo cultu ad virtutem instituuntur, alieni ab omni bene vivendi ratione. Verissimum quidem est quod scribis, neque sidera, neque coelorum cursus praestantes hominum naturas, bonarum artium studiis, et optimis moribus corroboratas, pervertere, ac depravare posse: sed ante assumptum robur, ante adeptos optimos mores, antequam bonarum artium institutis homines firmentur, cum nondum aliquid est perceptum, plus sidera et coelos valere arbitror ad disponendum animum nostrum, quam hominum praecepta, et suasiones. Nisi enim sive Deus, sive sidera, aut coeli nobis faveant, posteaquam in lucem editi sumus, nisi tanquam laborantibus porrigant manus, nisi nos accomodatos ad percipiendam virtutem in lucem educant, frustra atque inanis ferme omnis erit parentum affectio, et cura. Nolo nostri temporis quemquam referre, ne quem mea oratio offendat. Ciceronem certe filium M. Tullius quanta cura

nutrierit, quanto labore erudierit, quantam sollicitudinem in eo bonis artibus et philosophiae studiis instituendo adhibuerit, minime te fugit. At vero is a paterna virtute et moribus adeo degeneravit vino et somno deditus, ut sui maxime Tullio praestiterit, filiis caruisse. Refertae sunt historiae illorum exemplis, qui nulla in re parentum virtuti responderunt, et eorum quoque, qui paternam gloriam superarunt, plurima sunt exempla. Sed tamen neque illis parentum disciplinam scimus defuisse, neque his studia adfuisse, ut natura ipsa sola dux esse videatur hominibus ad virtutem. Sed hanc ipsam fateor adjuvari plurimum posse studio et domestica cura. Maxime autem prodesse arbitror arceri procul a teneris annis, ut scribis, illecebras voluptatum, ut corroborata jam aetate animus blandimentis illis delinitus durior non sit ad capessenda verae vitae praecepta. Ego tamen, quem Salvator noster sua sponte nullo parentum studio paulo altius provexit quam merita mea paterentur, spero in filio quoque, adhibita nobis cura, satisfacturum honestis parentum votis, quae sola erunt, ut illi bonam mentem tribuat, et animum memorem beneficiorum Ejus. Nos quidem, quae in nostra potestate erunt, sedulo curabimus, prout parentis pietas et officium postulare videntur: caetera praestabit Spiritus ille, qui ubi vult spirat. Optabimus certe, quod parentes solent propitii. Quicquid fors tulerit, aequo animo feremus. Vale ex Terranova die XVI Novembris (1).

(1) Anni 1438.

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo Patri Scipioni Episcopo Mutinensi.

Gratum est mihi officium tuum, mi compater, quo uteris in me admonendo, quemadmodum filiolus a me susceptus sit vita et moribus instituendus. Et quidem amici charitate, et benivolentia uteris in re admodum necessaria. Nam cum omnes nostris faveamus animi passionibus, et erratis filiorum indulgeamus ultra, quam ratio patiatur, grata debet videri admonitio ejus, quem, seposita omni graviori affectione, nobis consulere ex animo et recta sententia arbitramur. Etenim si omnes diligere, et caros habere, si commodis hominum prospicere humanitatis jure debemus, quanto magis in filiorum educandorum cura pervigiles esse oportet, quos nutrire, erudire, instituere ad rectum vitae iter naturae vinculo et divinis legibus obligamur. Nulla quippe est res, in qua patrum sollicitudo et studia acriora esse oporteant, quam ut liberi ad honestatem, doctrinam, et bonas artes per eorum disciplinam alantur. Summam igitur voluptatem suscepi in tuis litteris, quibus me hortaris ad eas res, quae solent esse parentibus, tum perdifficiles, tum vero maxime necessariae. Nam et amor nimius quo afficimur, rectum judicium impedire consuevit: et, nisi frenum aetati, quae est proclivior ad vitia, adhibeatur, parentum simul et filiorum calamitas

subsequetur. Attamen risi paulum tuam curam non quidem supervacuam nam semper sanis praeceptis vacandum est sed neque aetati, neque tempori congruentem. Non reprehendo tuam diligentiam, quae longe ante tempus ad consultandum occurrit, sed meam amnistiam, ut graeci appellant, culpo, qui nedum ad futura mentem accomodare possum, et eorum curam, quae longe absunt, agitare, sed ne praesentium quidem, et quae quotidie inculcantur oculis, reminisci; admones me summa cum charitate, et etiam eloquenter, quid sequi debeam in eruditione filii per omnem vitam; sanctissimorum ac doctissimorum virorum multa affers testimonia; disputas prudenter, quibus sint liberi vivendi praeceptis et studiis edocendi. Sed haec monita, mi Scipio, mihi, qui sum paulum obliviosior sive naturae, sive aetatis culpa, sunt admodum praepropera atque immatura, quae neque nunc possunt prodesse, cum in usu nequeant collocari: et cum aliquid utilitatis forsan afferrent, oblivione sepulta nullo in loco sint profutura. Non enim, neque infantium, neque puerulorum aetas ad aliquam rectam normam vivendi dirigi annis reluctantibus potest. Quodlibet aetatis tempus studiis propriis, duce natura, gaudet; quam flectere paulisper, et mulcere forsan diligentia institutoris et pedagogi posset; tollere vero, aut funditus evellere non magis posset, quam si quis quaereret cum ratione insanire. Non sunt anni pueriles ad disciplinam certam apti, vix corroborati virtutem possunt intueri, ac percipere, nedum imbecilles, et ad vitia

prompti. Itaque cuilibet aetati jus suum tribuendum videtur; infantibus ac pueris ludendi ac jocandi facultas concedenda; quam si quis praeripere conetur, reddet profecto illos stultiores, atque hebetiores, cum etiam levia, ac ludicra quaedam videantur quandoque acuere igenia puerorum. Vidi ego plures, qui quod in tenera aetate negarunt, parentes, in maturioribus annis postmodum minori cum licentia expresserunt. Bonos tamen mores, et quos anni sustineant, edocendi sunt, comprimendi, ac continendi ne longius efferantur. Id agendum ne patris indulgentia lasciviores liberos efficiat, quam aetatis conditio praescribat, neve aut negligentia obsit, aut diligentia inutilis fiat, modus praecipue, quod difficillimum esse omnibus in rebus sapientes volunt, adhibendus est nobis. Sed cum omnia, quae cura et ratione agi possunt, fueris mente complexus, Deus ille est, qui tribuit unicuique prout vult. Quidam nullo parentum auxilio ad virtutem pervenerunt duce natura, quae plurimum potest: aliis nihil profuit domestica disciplina, neque patris cura obstitit quominus turpes ac flagitiosi essent. Danda opera est, id quod est proprium sapientis, ut procul simus a culpa; quae honesta ac recta videntur, ea sequi debemus, et rationi obtemperare, caetera Deo permittere, qui solus novit quid cuique sit profuturum. Ego cum tempus erit, adhibebo eum animum, eam diligentiam in filio educando ac bonis moribus erudiendo, quam postulat amor et pietas paterna; Deus reliqua curabit, modo,

si id melius futurum existat, superstes sit nobis. Vale in Terranova die XX. Decembris (1).

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit praestantissimo Patri Francisco Archiepiscopo Mediolanensi.

Dudum cum essem Ferrariae, dedi operam, ut aliqua ex meis scriptis, quae te cupere ex tuis litteris intellexeram, transcriberentur. Ea tradidi Roberto nostro, ut curaret ad te quamprimum deferenda. Postea timens pestem, quae omnes terrebat, veni cum omni familia in patriam natalis soli, ubi rusticando, legendoque vacuus publicis negotiis (nam privata nullius operis erant) tempus trivi usque ad Pontificis adventum tanta animi ac corporis quiete, ut nihil mihi ad felicitatem deesse videretur. Incolebam domum, quam ipse haud vulgarem aedificavi; quod magna esse solet consolatio, eram in patria omnium, quas unquam viderim, amoenissima. Certe ab Tito Livio prae caeteris Etruriae campis laudata, quae omnia ad victum spectantia optima ac suavissima incolis suppeditat. Ipse nullis implicitus praeterquam legendi curis, quae jucundae sunt, et animum levant, in deambulatiunculis per consitos colles, quod a studiis supererat otium, exercitii gratia collocabam. Construxi insuper, quod et

(1) Anni 1438.

ipsum jucunditatem animo praestabat, biblioteculam quamdam receptaculum librorum meorum. Indignum enim videbatur, cum mihi haud ignobilem habitationem parassem, libris, qui mihi magno ornamento semper fuissent, nullum proprium diversorium, in quo habitarent, se dignum in aedibus statuere. Accessit ad reliquas voluptates filioli susceptio, quae maxima habetur inter mortales. Quid quaeris, adeo quiescebam animo, ut timerem aliquando ne mihi fortuna invideret hunc vitae cursum, quem ego omnibus vestris dignitatibus ac magistratibus antepono: interrupit summi Pontificis accessus, qui me rure in urbem avocavit. Ibi Robertum conveni, quia a me rogatus de libello, respondit illum tibi traditum esse, tibique eam rem fuisse admodum gratam. Laetor, si quid egi, in quo tibi satisfactum putes. Quid autem de iis meis ineptiis sentias a te scire velim, cujus judicium acre ac peracutum in talibus esse solet. Scripsi, cum essem domi, epistolam quamdam ad praeclarissimum, ac praestantissimum principem Ducem Mediolani suis ad me litteris provocatus. Utriusque epistolae copiam ad te mitto, ut et Candidi suavitatem dicendi videas, et infantiam meam, quae si tibi tamen digna lectione videbitur, addas numero reliquorum; Haec hactenus. Sentio vos quotidie aliquid stultitiae cudere ad Ecclesiam perturbandam, quod tamen parvi facimus, a levitate quadam barbarica et mentis vertigine profectum. Quae enim amentia est, velle aliquos omnes aeque ac si stultos et insanos fieri? et decretis

nescio quibus studere, rebus novis fatigare orbem, ut non omnino ociosi ac desides videantur? Sed tanti fiunt, quanti meretur condentium iniquitas: perverterunt nuper coelum et terram, ut Concilium transferretur in Galliam. Quod postquam frustra evasit, nunc superioribus erroribus novos accumulant ad Ecclesiam lacerandam. Sed non meminerunt, quod legunt quotidie, Deum populorum ac principum cogitationes dissipare, ac reprobare consilia. Nisi vererer offensionem aliquorum, quos diligo, acuerem, mihi crede, calamum adversus impudentiam eorum, qui ambitione quadam pestifera et truci adversus Italos odio omnia divina humanaque jura perturbant, ut satisfaciant cupiditatibus suis. Res quippe nefanda est, Christianum nonnullorum barbarorum arbitrio ac temeritate regi debere. Tibi vero doleo, quem scio versari in ea rerum barbarie, in qua nihil aliud praeter scisma et oppressionem Romanae Ecclesiae fabricatum videmus. Sed haec Deus, cujus de praeda agitur, viderit. Ego fidem a patribus nostris acceptam servabo. Vale et me ama. Florentiae Nonis Februariis (1).

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Ricardo suo.

Dudum cum ad te dedissem litteras ex Ferraria, postmodum timore pestis, qua multi peribant

(1) Anno 1439.

relicta Curia abii cum omni familia ad patrios lares, ubi fui pluribus mensibus vacans studiis litterarum, et revisens libros meos, qui nimium diu caruerant suo cultore. Vixi summa cum quiete animi vacuus omni, praeterquam domestica, quae et ipsa perlevis erat, cura. Eram enim in patria tum fertili, tum amoena, quodque plurimum ad jucunditatem confert, inhabitabam domum a me ipso aedificatam, vacabam animo et virtuti ipse procul ab omni questus cupiditate. Nihil erat tanti, quod censerem vitae meae et huic tranquillitati mentis praeponendum. Supervenit interim novi gaudii causa. Scripseram ad te antea uxorem meam gravidam esse: ea peperit postea, quartus hic mensis est, filiolum pulchellum. Volui hoc ad te scripsisse, quoniam scio te pro nostra amicitia ex hac re laetitiam suscepturum. Ego tamen ita filium accepi, ut sciam reddendum esse, cum libuerit ei qui dedit. Itaque cum creditor repetere voluerit quod mutuo concessit, aequo animo parendum erit repetentis voluptati. Opto ut parentibus sit superstes, si id in nostram suamque salutem fuerit futurum, utque non evadat inferior patre. Vale mi suavissime frater. Recommenda me domino communi. Saluta patrem meum dominum Nicolaum verbis intimis, agasque sibi meo nomine gratias pro monuscolo, quod misit uxori. Florentiae VIII. Idus Febrarii (1).

1) Anni 1439.

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Jacobo Bracelleo Januensi V. C.

Non tantum in re parvula, mi Jacobe, sed in majoribus etiam, quae mea cura vel diligentia effici possent, libenter satisfacerem desiderio tuo. Honesta enim, ac laudabilis rerum gestarum cognitio, patriae vero ferme necessaria, iis praesertim, qui cum aliqua doctrina et dignitate in sua republica versantur. Neque est quod parcas occupationibus meis, quae mille sunt: nam si essem occupatissimus levissima tamen essent, quae mihi abs te, qui sum tibi deditissimus, mandarentur. Non autem respondi prius suavissimae epistolae tuae, propterea quod historia illa, de qua tecum fueram locutus, ruri erat. Memoriae autem non adeo confidebam, ut ea auderem pro libro uti. Misi postmodum pro libellis uno, et item altero, qui in eamdem urbis tuae ruinam consentiunt. Sigisbertus Monachus Embliacensis homo curiosus, et ut apud Gallos admodum eruditus imitatus Eusebium, de temporibus historiam a Theodosio imperatore usque ad aetatem suam, hic est millesimus et centesimus annus, ex variis auctoribus excerptam complectitur. Hunc ego librum cum in Angliam monasterio quodam repertum legerem, transcripsi nonnulla, quae mihi caeteris praestare videbantur, in quibus est anno

nongentesimo ac trigesimo quinto Januae fontem sanguine fluxisse futurae prodigium calamitatis. Nam eo anno classem ex Affrica advectam urbem coepisse, evertisseque internectione, omnibus occisis praeter parvulos ac mulieres, quos cum caetera preda secum Afri asportarunt. Hoc idem et alter historicus asserit Ordinis Minorum ex familia Columnensium, qui diversis ex libris collectam historiam, usque ad Bonifacium octavum Pontificem contexuit. Accidit autem ea vastitas decimo anno imperii Enrici primi, qui primi Conradi filius fuit. In Italia vero post Berengarium regem interemptum, Rodulphumque, qui post eum triennio regnaverat pulsum, regnum tenebat Ugo Arelatensium comes ab Italis accitus: Pontifex erat Joannes, cui Leo brevi successit centesimus et vigesimus sextus. Neque dux, neque classis numerus exprimitur: sed haud parvis viribus tantam urbem deletam fuisse crediderim. Haec sunt, quae de Januae eversione didici, quae si tibi faciant satis est, ut gaudeam me tibi rem gratam fecisse atque ita deinceps si qua in re tibi mea cura vel studio opus erit, recipio me eam prompto animo, diligenterque facturum. Vale, et mei memor Florentiae (1).

(1) Deest omnino temporis nota, sed certe pertinet ad annum [illegible]

EPISTOLA X.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomeo Guasco Januensi.

Cum quaererem de te saepius pro mea in te benivolentia ab iis, quibus suspicabar te notum et carum esse, intellexi te jamdudum, et multo longius quam tua ferat humanitas, esse apud Corsos gentem feram atque inhumanam. Mirabar, cum sis homo nostris studiis, hoc est humanitatis, ab ineunte aetate deditissimus, quid sibi vellet tam diutina mora in tanta barbarie hominum, quibus imperare, nedum praeesse, miserrimam servitutem putarem. Sed existimo te inter illos Corsos versari tanquam apes inter dumeta, ex quibus mel colligunt, ut compleant alvearia. Hoc, si es animo in ea, quae tibi demandata est, praetura, propositum tuum laudo: quanquam non censeo aliquid pecuniae solius gratia esse agendum: abiectissimi enim et hominis, et consilii est, nummis et questui deditum esse: sed hoc, dico, leniorem effici provinciae molestiam lucro, quod proponitur laboribus nostris, praesertim si tale est, quod possit loci molestiam reddere leniorem. Id solet esse optimum levamentum aegritudinis animi. Attamen quaecunque causa te detineat, honestam illam ac necessariam puto: neque aliud a te fieri judico, nisi optima ratione et consilio singulari. Scripsi haec ad te, non ut reprehenderem quod

rebus tuis conducere arbitraris. sed ut elicerem causam loquendi tecum. Ego tuus sum. Vale Florentiae XV kalendas Aprilis (1).

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo Patri Matheo Episcopo Albanquarensi.

Recepi tuas litteras, et simul copiam Epistolae, quam dicis te scripsisse ex Mediolano. Fit mihi utraque gratissima, sed superiorem nullus antea ad me attulit, propterea non respondi prius. Rescripsissem enim tibi e vestigio quae mea est in amicos observantia, cum nullus sit me in officio litterarum diligentior. Nam tum sponte mea scribo ad eos, quibus cum est mihi vetus amicitiae consuetudo, tum vero praecipue litteris provocatus. Dedissem quoque operam, ut quod petis, copia tibi fieret epistolarum mearum. Quamvis enim me ipsum satis noverim, sciens quae a me scribuntur levia quaedam esse, neque digna quae legantur a viris doctis, tamen satisfaciam tuae voluntati potius, ne me defuisse putes tuo desiderio, quam existimem commendationem aliquam mereri. Sed amor in me tuus singularis te cogit aliter, atque aequum est sentire de rebus meis. Accidit enim, ut amicorum virtutes excellentiores nobis videantur, vitia vero minuscula, et persaepe amor nos a recto judicio distrahat. Attamen ne mihi succen-

(1) Anno 1439

seas. obtuli exemplar Capellano, de quo scribis, modo ille onus suscipiat transcribendi. Sunt enim plura a me scripta post ea, quae notas in tuis litteris, quae, qualia sint, tuo judicio relinquam: certe a multis probantur secundum horum eloquentiam, et doctrinam temporum. Sunt quoque in manibus quaedam, quae graviora superioribus videantur, nondum a me edita. Postea enim, quoniam mea scripta aliquibus placere sentio, factus sum paulo audacior, ne dicam impudentior ad scribendum. Ego tuus sum, si qua in re, mea vel opera, vel diligentia uti velis. Unum te pro mutua inter nos benivolentia hortor, ut Italorum nomini et gloriae consulas, neque te, vel odium, vel amor cujusvis eo impellat, unde pedem non possis, cum volueris, referre. Satis a barbaris quibusdam, qui Latini nominis splendorem ferre nequeunt, invidetur nobis. Illi, ne animum contra nos sumant, deterrendi sunt potius, ac coercendi, quam vel cohortandi, vel adjuvandi: hoc pro tua prudentia satis nosti. Certe scis consulendum esse communi bono, potiusque particulare odium deponendum propter publicam utilitatem, quam communi commodo detrahendum propter malivolentiam alicujus. Multi quondam praeclarissimi viri privatas inimicitias deposuerunt, quoniam id reipublicae utilitas postulabat; quorum tibi exempla cum notissima existant, laudem mereberis, si quorum facta laudas, vestigia fueris imitatus. Vale et me ama. Florentiae pridie kalendas Aprilis (1).

(1) Anni 1439.

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomeo Guasco.

Delectatus sum admodum litteris tuis, quas ex Corsica dederas. Alterum earum erat caput te litteras meas minime recepisse, alterum significabat datam tibi absenti uxorem; qua in re, et quid de conjugio sentiam, quaeris, et simul postulas quamdam tanquam vitae uxoriae institutionem. Epistolam meam tibi redditam non esse, permoleste tuli, sed id damnum facile resarciri potest. Mitto tibi ejus exemplar, quod licet leviuscula res sit, tamen tibi afferet aliquid voluptatis. De re autem uxoria si vis scire quid sentiam, lege libellum, qui a me scriptus est paulo ante « an seni sit uxor ducenda » ubi expressi sententiam meam. Nam conjugium, cum sit non solum utile, sed etiam necessarium mortalibus ad degendam vitam, nisi more ferarum vivere velimus, maxime probo. Uxores vero non item. Conjugii quidem ratio utilis est, atque honesta. Uxores autem quandoque neque utiles sunt, et inhonestae. Nam si molestae, difficiles, morosae, aut, quod in eis extremum malorum est, impudicae fuerint, satius est solum bene esse, quam cum altera male. Honestae enim (et quieti vitae debemus consulere) quae cum absint, non solum uxor, sed vita quoque descenda esset. Ego, quod de me quaeris conjugium, magis in diem laudo propter uxorem, quae mihi

obtigit, vel potius quam elegi ex sententia; ut nihil sit adhuc, quod aliqua in re me ad penitentiam invitet. Itaque quanquam uxor cuique sua placeat, tamen non sorte accipiendam, sed consilio seligendam puto. Tibi vero fortuna magis, quam consilium poterit prodesse, cui quod oblatum est, vel invito sumendum fuit. Sed tamen etiam consilium poterit admodum esse utile, si tuis monitis tibi morigera erit, et congruet voluntati tuae. Nam quod a me consilia multis in rebus pluribus verbis requiris, hoc tantum respondebo ejusmodi esse rationes, de quibus nulla doctrina tradi possit: nam magis experiendo, quam legendo cognoscuntur. Sicut enim una vestis non omnibus apta est, ita nec unica cum uxore vivendi ratio. Multis levitate opus est; multae austeritatem requirunt; frigidiusculae non sunt in cubili molestae; calidioribus plusculo humore opus est ad sedandam sitim. Itaque cuique uxoris natura investiganda est, tum propriae vires ponderandae, dandaque est opera, ut sibi magis satisfaciat, quam uxori: suis magis viribus consulat, quam appetitui illius: denique, quod ipse semper in me praebui, sudorem concubitu fuge: nam non sudatur, nisi ad supervacua, quae sapientes existimant esse repudianda. Hoc postremum scito a Poggio tuo, sicut omnibus in rebus, ita et in hac conjugali non discendo, aut legendo, sed agendo et operando prudentiam acquiri; quod si cujus consilio indigebis, qui uxorem dedit, et consiliis quoque te instituet, et quid appetendum, quidve

fugiendum fuerit admonebit. Consilia enim cum sint temporum, et in diem nasci debeant, non ad certam formulam possunt redigi, praesertim in re dubia, in qua normam et rationem praestare difficile esse consuevit. Vale et me ama (1).

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Antonio Lusco V. C.

In voluptate, quam coepi permagnam ex tuis litteris, illud molestum fuit, quod ita multis verbis ad me scribis, ita enixe rem levem a me contendis, ac si ignotus quidam tibi essem, ac non is a quo pro nostra amicitia omnia, et petere possis, et debeas. Succenserem tibi paulum, nisi senectus ipsa paulo verbosior esset, et tam multa a te scripta putem, ut significes quantum sit tuum rei conficiendae desiderium. Sed, mi Antoni, nullum hoc anno tempus importunius fuit, quam hoc quo famulum tuum misisti. Nam tota civitas suspensa est ad nuntium, quo allatum est, duo equitum millia totidemque peditum ex gente Ducis Serezanum venisse, atque ulterius progressuros. Summa autem cura est in comparandis pecuniis, quibus novi equites, peditesque accersantur ad patriam defendendam. Qua die tuus famulus mihi reddidit tuas litteras e curia redeunti, erat autem fere prima hora noctis, et mihi multa agenda incumbebant, non legi illas, neque nun-

(1) Eodem anno 1439.

tium retinui domi. Mane perlectis litteris primo jussi eum mecum domi esse, quoad expediretur. Deinde ad Cosimum me contuli tradidique omnes epistolas legendas, rogavi quoque ut cum officialibus Montis pro te loqui vellet, et me socium obtuli: respondit comiter, ut solet, se id perlibenter tua causa facturum. Heri propter occupationes non potuit tibi adesse. Hodie dixit se inutilem futurum, cum novum mandatum esset officialibus factum, ut cogendis pecuniis vacarent. Itaque ego solus ad magistratum accessi; datis litteris dixi quae in rem videbantur conferre. Responsum breve tuli aequum esse tibi satisfieri, et se id cupere, sed tempora impedimento esse, quominus quae cuperent exequi possint; rationem esse habendam reipublicae quae novis motibus turbaretur. Ita differendam necessario solutionem et in aliud quietius tempus reservandam. Cincio reddidi tuas litteras, qui est in eadem difficultate, neque quicquam exigere quivit, jamdiu lectis litteris; si mihi ipsi praesens, et solicitans prodesse nequeo, quanto magis absenti? Habes, Antoni, quid in tua causa factum sit, vel potius inceptum. Vellem ut diligentia et studio, ita et opere tibi possem satisfacere. Sed temporum conditio obest, et tibi, et etiam civibus permultis. Laurentius de Medicis ruri abest: cum redierit, loquar secum, et si qua via proficisci poterit, quo cupis, non secus atque in rebus meis exactissimam diligentiam praestabo, et te, si erit spes, faciam certiorem. Nos hic si quid agamus quaeris, ut quimus,

ajunt. Ego cum libellis meis me oblecto. Uxor et filiolus pulchellus quem mihi Deus dedit, ruri habitant cum caetera familia. Uxor quoque gravida est. Haec perinde habenda sunt, ac si essent aliena, et mutuo concessa. Unicum solatium ex infante percipio admodum scitulo: sed quamdiu futurum, novit ille, qui concessit. Vanae et incertissimae spes nostrae sunt, idcirco in parvum locum coarctandae. Si filii obitum aequo fers animo laudandus es, et id tuam sapientiam decet. Licet enim magna in tuis rebus jactura talis filii interitu facta sit; tamen fati necessitas forti animo tolleranda est, et quicquid a Deo fit, pro optimo ducendum. Famulo huic tuo dedi ducatum unum romanum; eum, si videtur, restitue Venetiis mensae de Medicis. Vale, mi dulcissime Antoni: tui omnes te salutant. Noctu manu veloci die XXIII. Octobris Florentiae (1).

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Gotardo Cancellario Januensi.

Legi summa cum voluptate tuas litteras, mi Gotarde, tum quia jucundissimae sunt ac suavissimae, tum quia nonnihil in mea commendatione commorantur. Quod quamvis sciam ex abundantia quadam amoris erga me tui magis, quam ex vero proficisci, tamen delectavit me judicium benivo-

(1) Anni 1430

lentiae tuae. De epistolis, quas dispersas me collecturum aliquando dixisse scribis, ergo quid id sit, non recte teneo. Sum enim factus admodum obliviosus, ut ne recentiora quidem, ac quae dicuntur serio, meminisse possim, nedum paulo vetustiora, et quae aliquando sermonis gratia inter loquendum inciderunt. Si quid tamen est ex rebus meis, quae variae sunt, licet parvi aestimandae, quod a te desideretur, impone alicui onus transcribendi, nam satisfiet desiderio tuo. De eo quem Felicem quintum appellas, ego autem verius primum infelicissimum omnium judico, quid dicam, aut quid potissimum clamem, aut querar nescio. Non enim flagitia capitalia, ut inquit ille, in civitate fieri videmus; sed quae universo orbi pernitiem, pestem, et calamitatem videantur afferre. Quae enim de eo digne dici possunt, qui se monstrum horrendum, informe, ingens, ut ait Virgilius, reddidit, ut Dei Ecclesiam, et fidem conturbaret? qui omnem humanitatem exuit, ut mores indueret belluae immanis? qui miseram senectutem scelere impiissimo funestavit? qui ante actam male vitam pessimo flagitio inquinavit? qui natus in Ecclesiae scandalum, erit omnibus saeculis dedecori sempiterno? Nimirum sicut scelestus olim quidam ad consequendam famam, quod virtute nequibat scelere aggressus, Dianae Ephesiae inclitum ea tempestate templum incendit: sic iste ignem in Dei populum injecit: quo fides Catholica conflagraret: sed omnis in eum et domum suam flamma haec devolvetur, siquidem

ejusmodi scelerum ministros male et audivimus, et vidimus esse mulctatos. Verum haec deploranda, et tuenda illis relinquo, quorum de opibus agitur. Ego in studiolis meis versabor, tantum publicis occupationibus temporis impertiens quantum demandabitur mihi; reliqua Deo, et fortunae permittam. Remedia quae adhibentur a nostris? ii sciunt, quorum est consulere in medium, et rebus succurrere fessis. Mihi quicquid fors ferat, fides erit integra atque incorrupta. Vale, et me ama. Manu veloci die XX. Decembris (1).

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Reverendissimo in Christo Patri et domino meo carissimo domino Francisco Archiepiscopo Mediolanensi.

Reverendissime pater. Fui tardiusculus in respondendo tuis litteris, quam meus in te amor requirat, tum quia senectus natura omnibus in rebus remissior est, maxime vero in scribendo, tum quia existimabam te abesse longius, prout mihi scripseras esse futurum. Pridie vero redditae mihi sunt litterae e Lodrisio Secretario tuo, quibus significat a te epistolam ad me obsignandam, ut tuis verbis utar, recepisse, quae minima ad me relata est: et simul suis litteris interclusit cedulam quamdam Candidi sibi a te missam, ut litteris tuis

(1) Anni 1439.

intercluderetur. Ego, mi pater, dudum a te accepi epistolam pergrandem, in qua praeteritam negligentiam resarcire voluisti, et simul libellum plurium epistolarum quas legi omnes summa cum voluptate. Epistola tua cum de rebus privatis pluribus loquatur, non videtur flagitare responsionem, nisi me de tuo reditu summe laetari, et de illa nummaria causa nihil unquam sensisse, quo ulla opus fuerit excusatione. De Villicatione, et item opusculis meis satis sit quae dicta sunt hactenus. Unum scias me licet minime opulentum, tamen in dies quaerere, ut mihi aliquod praedium compararem, quo possim semotus a curis Curiae rei rusticae et musis nostris vacare. Nam video naviculam hanc nostram sine gubernaculo fluctibus quassari, adeo ut non sit his diebus tranquillitas speranda. Ad id, quod suades, vel occulte agendum, saepius apposui manus et coepi, prout rei indignitas postulare videbatur. Verum compressi ipse me, postquam vidi, etiam quae alterius nomine a me fiunt, negligi, quamvis ad defensionem nostram necessaria. Itaque vires meas pensitans, nolui subire onus, quod meis viribus nequeam sustinere. Dixi publice nuper, cum me ad id nonnulli ex majoribus hortarentur: si facultatibus iis essem, quibus esse deberet vir haud omnino rudis, jam tot annis in Curia versatus: si quae mihi meae copiae absque ullo questu satis essent, me, tum pro communi utilitate, tum propria laude sumpturum onus scribendi, et, ut existimo, non inutile nostris. Sed cum omnes manus, et sacculum claudant, ego quoque

epistolis parcens calamum continebo. Sed haec hactenus. Scribit Lodrisius Matheum tuum dudum dedisse cuidam quatuor meas epistolas ad me deferendas, qui eas nondum misit: quaeram, cum ocium erit, et ut tibi satisfiat, cohortabor. Composui, sed nondum edidi Dialogum quemdam de Nobilitate (1), in quo disseritur, an sit nobilitas, quid sit, et quibus artibus acquiratur, rejicitque opiniones eorum, qui illam aliis in rebus, quam in virtute collocant: plura in utramque partem disseruntur: puto futurum, ut ejus lectio non sit futura nostris hominibus ingrata, cum illum vulgavero; dabitur opera ut ad te deferatur, et, ni plus solito me animus fallit, non aspernaberis libellum, cum varia sit in utramque partem disputatio. Libellus inscribitur ad virum praestantissimum Cardinalem Cumanum. Quod autem quaeris, an Plato captus sit, et venundatus, tibi in ea re satisfacere poterit Laertius Diogenes, cujus verba, cum de Platonis vita scribit, tibi mitto, ut Candidum videas non recte sentire, nisi etiam, et Graecum, et doctum auctorem rejiciat. Sed puto cessurum tanti viri auctoritate. Misit ad me Lodrisius verba quaedam scripta a Condido, in quibus videtur arbitrari, cum disputaverim, an seni sit uxor ducenda, non quae prudentia, aut

(1) Opusculum hoc, inter Poggii opera, propter sermonis elegantiam rerumque doctrinam admiratur. Dialoghi formam habet; qui loquentes inducuntur sunt Nicolaus Nicolius et Laurentius Medices, Cosmi frater. Versatur praesertim in varietate rationum, cum quibus apud nationes diversas nobilitas acquiritur, et earum mores consuetudinesque, in re de qua agitur etiam fideliter describuntur.

consilium, sed fortuna, aut voluntas suaserit, me scripsisse. Credo jocandi causa haec ab illo prolata. Nam si legit libellum, non fortuna, aut animi libidine, sed summa ratione a me eam causam sumptam animadvertere potuit. Nihil fortuito a me dictum; nihil, nisi summa cum moderatione de meo, aut aliorum appetitu agitur. Neque quod a me actum sit quaeritur, aut quid a me probetur; sed quid exigat ratio ab homine ejus aetatis fieri oportere ad agendam quietam et civilem vitam. Quae si rationes ab eo non probantur, est spatiosus campus disserendi in partem contrariam, si eum laborem velit sumere: liberum est enim et sentiendi, et scribendi judicium. Neque enim ita amens sum, ut putem, quae a me scribuntur tanquam stoicorum ciriadoxas, ut appellant, ita rata esse debere, ut eis contradici non possit. Credo tamen Candidum nostrum, cum libellum legerit, sententiam mutaturum. Tu vale et me ama. Exemplar duarum epistolarum, quas nomine Pontificis scripsi contra Basilienses, et idolum illud ad te mitto: quanquam illas quorumdam superstitiosa religio in deterius mutaverit: sed te accipere volui epistolas incorruptas. Vale Florentiae die XXIV. Februarii (1).

Superiora sunt librarii manu. Nam raptim cum scripsissem, rescribendae litterae fuerunt, quod mihi est difficillimum; laborem enim in diem libentius declino, scribendi manu mea praesertim.

(1) Anni 1440

cum multa etiam invito ex publicis rebus incumbant. Exemplar epistolarum, quas dixi, nequeo ad te nunc mittere, quoniam sunt penes amicum scribendi gratia: alias habebis. Heri Dei gratia in me uberior fuit: dedit enim mihi alterum filium (1); cui vitam oro, et virtutem largiatur. Leve id est, sed mihi gratissimum hac praesertim aetate, quae desiderat puerorum oblectamenta, et ipsa ad pueritiam revertens. Significo id tibi, quoniam mearum voluptatum te volui fieri participem, prior ita pulchellus scitulusque est infans, ut nihil possit esse festivius: balbutire incipit, et ipsa verborum corruptio est omni mihi eloquentia jucundior. Quid quaeris, si reliquis in rebus sibi aderit Deus, nemo me erit felicior; sed confido non defuturum illum in se sperantibus longius quam vellem; progredior tecum loquendi cupiditate. Vale iterum manu mea, et tuum Lodrisium saluta verbis meis.

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Mutinensi.

Nisi vererer, pater optime, ne te avocarem a tua contemplatione, et sanctitate, qua uteris hoc jejunii tempore, essem longior in scribendo, sed te divinis rebus ita occupatum puto, ut stultum vi-

(1) Hic fuit Joannes Baptista, in utroque jure doctor, Canonicus Metropolitanae Florentinae et Cathedralis Aretinae: Rector Ecclesiae Sancti Joannis Laterani, et ad solium Pontificium adsistens. Scripsit latino sermone de vita Nicolai Piccinini, et Dominici de Capranica Cardinalis. Obiit anno 1470, aetatis suae trigesimo

deatur, inanibus verbis velle obstrepere auribus tuis, quae quotidie sanctorum virorum vocibus replentur. Sed tamen id unum scribam, quod te libenti animo pro nostra amicitia auditurum confido. Commater tua, octavus hic dies est, peperit mihi infantulum pulchellum, cui nomen indidi Joannis Baptistae. Ago Deo gratias, qui me hoc tanto dono, et laudabili voluptate cumulavit, qua fruor, quoad libuerit ei, qui illum nobis largitus est. Et certe magna in gratia Dei fuit, cum senectam meam tam bella prole consoletur. Utinam memorem me efficiat beneficiorum suorum, quae qui meminit, consequitur ampliora. In hoc autem educando non est opus ut me iterum moneas, quoniam superiores litterae ita copiosae in ea re fuerunt, ut nihil videatur ad eam doctrinam amplius addi posse. Vale et me ama (1).

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Berto Cancellario Senensi V. C.

Licet doctrina et scientia praediti sua sponte commendati esse debeant apud doctos et praestantes ingenio viros, propterea quod ipsa studia litterarum summa homines inter se benivolentia

(1) Quamvis desit omnino nota temporis, tamen absque errore possumus huic epistolae certam diem assignare — Octavus hic dies est — dicit auctor; idcirco numeratis illis qui ab antecedenti epistola transierunt, certi facti sumus, hanc, die tertia Martii anni 1449, scriptam fuisse.

conjugunt; tamen pro viro doctissimo mihique inprimis amicissimo intercedere decrevi: ut id, ad quod tua humanitas te invitat, accumulatius fiat mea intercessione. Benedictus de Aretio jurisconsultus peritissimus, ea est in eo genere facultate, ut meo judicio priscis illis viris doctissimis sit procul dubio comparandus. Sed quoniam saepius accidit, ut ubique, quam in sua patria virtus hominum sit acceptior atque illustrior, cupit hic, quod solent praeclara ingenia, versari in aliquo tanquam celebri theatro, in quo possit suorum laborum fructus consequi, quos non in questu et lucro, sed gloria et laude sitos putat. Id se assequi facillime existimat, si in iis, ut ajunt, studiis se exerceat, quorum est egregium apud Italos nomen, inter quae cum vestrum obtineat praecipuam famam, vellet apud vos fungi legendi, et docendi munere in ea scientia, quam profitetur. Idem te oro, atque obsecro per amicitiam nostram, ut des operam, neque eam vulgarem, sed quam tuus in me amor requirit, ut Benedictus, pro futuro anno elegatur ad eam juris lectionem, quam sua virtus meretur. Non praescribam tibi quomodo, qua via, quibus rationibus id sit agendum: nam sus Minervam: sed peto a te, ne desis spei nostrae, et jam conceptae de tua prudentia opinioni. Scio te facile assecuturum, quod cupimus, si animum intenderis; primum res honesta est, quae spectat ad honorem civitatis et utilitatem communem; tum Benedictus ea est fama ac virtute ut merito impetrare debeat, quod cupimus. Magnum est pleno, ut ajunt, ore posse loqui de iis, qui

scientia et virtute antecellunt. Est insuper summa praeditus humanitate; ut mirum in modum alliciat homines ad se diligendum: neque est, quod aetatem requiras: non enim de annis loquitur, sed juris doctrina. Si ad gubernacula reipublicae vestrae adhibendus esset, in qua multa agenda ac providenda sunt in quibus continetur civitatis salus, forsan aetatem maturam, et multis annis gravem requirendam putarem, ut esset in eo summa prudentia plurimo rerum usui conjuncta. Sed cum tractetur de jure civili, et legibus publice docendis, non aetas in eo, sed scientia et virtus animi investigari debent. Ad quam rem cum hic noster sit aptissimus, nihil opus est annorum accumulatione. Multos senes deliros, indoctos, stultos vidimus, juvenes et contra maturos, compositos, et annorum paucitatem virtutibus superantes. Quanquam ea est tamen aetate, ut multos episcopos, ac cardinales inferioribus annis fieri videamus. Itaque facessat aetatis causatio, si qua est, qua qui utuntur, ipsi parum prudentiae prae se ferunt. Confice igitur, si fieri potest, quod cupimus; poterit autem, si solitam diligentiam adhibebis: quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale et me ama. Florentiae etc. (1).

(1) Primis mensibus anni ejusdem 1440.

EPISTOLA XVIII.

Poggius Florentinus viro insigni Gregorio Coriario sedis Apostolicae Protonotario S. D. P.

Optarem, mi Gregori amantissime, ut libellus quem de nobilitate composui, antequam a me esset editus prior in manus tuas pervenisset. Nam duo quae amicissime admones, facile mutassem arbitrio tuo. Non enim sum adeo pertinax in opinione, quin plus concederem tuae auctoritati quam meae sententiae. Nam cum in scriptis meis, quae levia et pusilla sunt, ac commendatione indigent, studeam . . . . et benivolentiam quaerere: non fuissem adeo amens, ut cum ipse favore egeam, voluissem doctissimorum mihique amicissimorum virorum in me animum provocare: aut aliquid committere quo mihi jure succensere possent: et si qua in re se laesos existimarent, cumulatam vicem redderent. Neque propterea is sum, qui boni viri esse putem per alterius obtrectationem et infamiam laudem petere. Ut vero planius perspicias animum in scribendo meum, quae tibi non probantur, nulla detractandi aut calumniandi causa a me dicta sunt, sed vera ex sententia mea: quae meo judicio (falli enim possum) nullam merentur reprehensionem. Sed tanta est doctrina et prudentia tua, tantus in me amor, ut plus tibi credam quam mihi . . . . cum mihi persuasum sit honorem meum aeque ac tuum

tibi esse carissimum. Primum in verbo factionis, quidem in malum trahi putas: inde non recte me culpes. Ego enim in ejus verbi sensu Titum Livium secutus sum satis copiosum atque opulentum auctorem latinae linguae: qui si culpam inscitiae meretur, facile patior errorem meum cum tanto viro esse communem. Ille enim in suis libris factionem, tanquam sectam in civitatibus et divisionem sententiarum in republica, scribit. Accidit enim in nostris etiam pluribus Italiae civitatibus: ut aut sint in eis antiquitate, aut saepius e novo oriantur divisiones, quas recte antiqui factiones appellarunt: honesto quidem verbo. sed quod dissensionem voluntatum significaret, cum utrique sententiis diffidentes, voluntate tamen idem sequerentur propter suae reipublicae utilitatem. Itaque in primo tertiae Decadis libro (ea est in manibus recentior) de Hannibale inquit. Litteras igitur ad principes factionis Barchinae permisit. In tertio autem. Consanus erat Trebius nobilis inter suos: sed premebat eum Consanorum factio familiae per gratiam Romanorum potentis. Et paulo post. Hamilco factionibus barchinae. Multisque preterea in locis, quos longum esset referre, hoc verbo utitur: non in opprobrium aliquod gentis, sed ad exprimendas civitatum varias sectas et domesticas divisiones. Hoc idem et secta apud nos, et haeresis apud Graecos designant: quae verba nonnullorum usus deflexit a vero significatu. Si posuissem pro factione, vel haeresim, vel sectam, quod recte et latine potuissem facere, aut si conspirationem,

quam Cicero in bonam partem scribit, contra dixisses quoque, ac me verbis male usus dixisses, cum neque haeretici Veneti essent, neque secta inter eos, aut aliqua conspiratio vigeret; quas plurimi in pejorem partem diducunt. Ego igitur cum scirem in Venetorum republica nullam manifestam neque factionem, neque sectam, idem enim sentiunt omnes, divisio tum sit populi, et ea non parva, a nobilitate, non factionem, sed veluti factionem scripsi: non ad culpam aut ignominiam civitatis, sed ad ostendendum id, quod neque tu inficias, nobilitatem esse a reliquo populo sejunctam: eosque dici nobiles, qui fungi possent muneribus civitatis, caeteros vero etiam si Socratem, vel Platonem sapientia, aut Aristidem vel Catonem virtute superarent, ignobiles haberi. Quod cum aequum aut verum sit, tuo judicio relinquo. Nam cum factiosum malae significationis vis esse, id ego assentior tibi. Sed nequaquam sequitur ex eo, ut factio propterea accipi debeat in malum sensum. Vinum quidem nullus sanae mentis reprehenderit, ut verbum significationis malae: at vero vinosum omnes. Idem de muliere, et capite dici licet: quorum denominativa in deteriorem significatum vertuntur. Quo autem Nonium Marcellum, et Pompejum Festum in testes attulisti, scias me multo pluris facere Livii auctoritatem quam illorum opinionem. Quod cum et Festus mecum sentit, qui antea honestum id vocabulum fuisse, dicit. Et cum Salustii in Catilinae bello refert Marcellus scriptum esse, nequaquam in eo libro quod in eo

codice esset reperientur. Veruntamen satis est mihi, quidquam illi servari apud se dicant: me non veterem et castam illam (ut ajunt) quoniam absolvit, sed Titi Livii turpis doctrinam fuisse secutum. At vero secundum, quod quidem gravius est, in quo scripsi nonnullos qui ob aliquod errorem insigne facinus in rem . . . . . admissum: etiam si scelere aliquo profuerunt, nobilium numero adscriptos adsci sci ad munia civitatis. Secus est atque a me scribatur: idque falsum esse ut scribis, sed nullo pacto calumniosum. Non enim quicquam calumniandi contra amplissimam atque ornatissimam civitatem a me dictum cogitatumve fuit. Sed quia quae a pluribus olim intellexeram, vera esse existimavi. Requires forsan testimonia aut eorum qui id protulerunt, aut eorum qui scelere profuisse dicantur. At ego illos non teneo memoria: si quae etiam occurrerent, tum honoris gratia minime a me nominarentur: potiusque plane confiterer me errasse, quam ignominiam alicujus conjungerem cum mea defensione. Sed attende quaeso, quomodo ea verba ponantur: et remittes paulum de judicandi saeveritate. Non dixi ob insigne scelus, sed facinus: non qui scelere profuerit, sed etiam si profuerit: ut non id factum omnino fuisse, sed potius fieri posse demonstretur. Ita nulla in re laeditur existimatio nobilitatis vestrae: cum etiam multa fieri a sapientibus possint, a quibus illos videmus abstinere. Non nego Reges et Principes plurimos esse a vobis civitate donatos: sicuti et illi nescio qui, memoria enim

excideruut, primum Herculem, deinde magnum Alexandrum civitate donarunt. Sed non concedam illos a vobis nobiles esse factos: quippe cum plures eorum se affirmarent vestris civibus nobiliores. De illis meus est sermo, quos (ut verbo vestro utar), gentiles homines facere predicatis: quorum in numero neque Reges, neque Principes quos commemoras se esse fatebuntur. At vero paulo amplius progrederis quam ratio postulet scriptorum meorum. Dicis sceleratos a vobis solere puniri. Id ego quoque assentior: sed tamen eos qui in vestram, non in alterius perniciem machinantur. Sed hoc quid ad rem nostram confertur? Nullus tibi concesserit, ut qui scelus aliquod commisit, dici debeat sceleratus: neque qui aliquando injuste egit, injustus. Potest quispiam scelere prodesse, neque plecti ut sceleratus: et sceleratus qui nunquam nobis profuerit poena affici. Non audeo efferri plures qui olim nostram rempublicam, praemio postmodum accepto, scelere adjuverunt, ne cujus honorem offendam. Romanos, de quorum gestis liberior est loquendi facultas, scimus praemiis singularibus affecisse multos, qui etiam proditione patriae rem Romanam sublevassent: neque propterea Romanorum virtus obscurior evasit. Si vestra respublica secus agit, summopere talium virorum virtus laudata est. Ego, mi Gregori, nihil sensi quod crederem spectare vel ad parvulam offensionem tuae civitatis. De scelere nihil mendacii confinxi, existimans minime falsa quae audieram fuisse, quod factum nunquam fuit: neque id ego affirmo;

parum id affert praejudicii. Exemplum si aliquod requiris, etiam si qua suppeditarentur, tamen mallem erratum fateri, causaeque succumbere, quam notam aliquam inurere, cujusque mortui, aut viventis, famae. Cupio vigilias meas, quas commendationis gratia suscepi, esse omnibus gratas: neque verti in opprobrium aut odium alicujus. Itaque quae tibi videntur emendatione digna, corrige arbitratu tuo, neque enim in hoc ulla mea utilitas, ulla salus, ulla honoris contentio continetur. Quae scripsi, sunt edicta ad utilitatem communem, et non ad aliquorum offensionem. Tibi vero gratias permagnas ago pro tua singulari in me benivolentia: nam te video favere honori meo: neque velle a me committi quod posset vel reprehensione, vel malivolentia dignum videri. Sed inter coetera tua scribendi modestia atque humanitas fuit mihi gratissima: ut plane epistola tua, tuae virtuti et suavissimis moribus convenire videatur. Vale: et me, ut facis, ama. Florentiae die octavo Aprilis 1440.

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit Berto Cancellario V. C.

Laudo tuam humanitatem, quod tam multis verbis te excusas in eo, in quo ipse potius culpam merebar. Nam cum ad me olim scripseris, quod tamen memoriae culpa, non recte memini, debui

saltem provocatus respondere tibi, idque officium nostrae benivolentiae requirebat. Sed tamen si quisnquam diligentiam praestitit in rescribendo epistolis amicorum, ego me unum fuisse, et esse profiteor. Non nego, neque assero Antonium reddidisse mihi litteras tuas: nam pro comperto non habeo: sed doleo, si id ita fuit, omnem ejus rei memoriam ex animo penitus decidisse. Itaque ne nunc quoque in eamdem oblivionem incurram, posteaquam tuae litterae mihi redditae fuerunt, e vestigio calamum sumpsi. Ago tibi gratias quod tam humaniter mecum agis, referens animum ad priora tempora, quibus familiarius invicem versabamur. Neque est quod verearis ex nostro silentio aliquid meae in te benivolentiae pristinae diminutum, quin potius auxit tua virtus meum erga te amorem. Testis est epistola quam ad te tanquam ad amicum summa cum fiducia scripsi. Scis enim eisdem studiis, praesertim optimis, non solum non minui benivolentiam inter notos jam contractam, sed statui, et servari etiam inter ignotos. Ut autem spem, fidemque, quam in tua humanitate habeam cognoscas, mitto tibi copiam litterarum quas olim ad te scripseram pro cujusdam captivi redentione, licet intelligam tibi illas minime fuisse redditas. Sed haec hactenus. Rem Benedicti nostri iterum commendo tibi, te nobis satisfacere velle confido, posse non despero: scio quid valeat Berti et Cancellarj et viri doctissimi auctoritas: si operam quam potes, praestiteris, facile erit tibi impetrare quod cupimus, praesertim pro eo, de cujus prae-

stanti doctrina nulla sit dubitatio: Scribo hac eadem de re praestanti viro, mihique pro sua humanitate amicissimo Bartholomeo de la Gazaja capitaneo, ut audio, populi, quo cum potes rei perficiendae consilium conferre. Vale et me ama. Florentiae (1).

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomeo de la Gazaja Civi Senensi.

Non vereor ne tibi molestus sim futurus in hoc tuo insigni magistratu, mi Bartholomaee, si tuas occupationes auxero in obsequium amici. Est enim hoc unum officium, in quo etiam importunitas honesta esse videatur, et hac una in re quodammodo licet esse impudentem. Benedictus Arretinus jurisconsultus est peritissimus, et nostris quoque studiis adeo delectatur, ut in eis multum profecerit. Non immorabor pluribus verbis in laudem ipsius; sed is est mea sententia, ut nemini juris doctrina cedere, eloquentia vero multos praecedere videatur. Cupit autem (quod egregii animi indicium esse solet) exercere suum ingenium in his locis, in quibus aliquis campus ad laudem et gloriam patere possit. Itaque delegit Studium Senense, quod hoc tempore prae caeteris floret, si in eo assumi inter caeteros posset ad jura legenda. Oro te igitur per

(1) Eodem mense et anno.

amicitiam nostram perque ea studia, quibus plurimum delectaris, ut impendas nobis operam et diligentiam, ut Benedictus eligatur ad juris civilis lectionem aliquam, prout decet ejus virtutem: Scio te plurimum posse, et auctoritate et dignitate, ut facile tibi futurum sit hanc rem nobis conficere ex sententia, quod ut facias te vehementer rogo, atque ita, ut amplius rogare non possim. Hoc item Berto Cancellario scripsi. Vale et me ama. Florentiae VIII. Aprilis 1440.

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit reverendo Patri et Compatri meo Scipioni Episcopo Mutinensi.

Licet eadem semper mea sit in te benivolentia, atque idem animus amicitiae nostrae memor; tamen non eadem semper se offert, scribendi voluntas, occasio, vel facultas, quorum utrumvis Litterarum officium impedit. Haec enim tempora, ut vides, parum tuta rebus communibus, tum praesentia me saepius molestia afficiunt, tum vero magis torquent formidine futurorum. Et quidem praeter curam rerum publicarum, etiam me angit solicitudo domestica, quae malis publicis augetur. Video enim nos in id loci devenisse, ut prudenti viro potius timendum, quam sperandum esse videatur. Ego autem, cum priorem aetatem, multis variisque in laboribus consumpsissem, sperabam olim post

adeptam unionem, senectutem meam in portum tranquillum pervenisse, in quo quiescere posset secura procul a fluctu tempestatum earum, quibus antea jactabamur. Sed cum in similes nunc procellas majori onere, non eisdem viribus, videam me deduci, conturbor, animo saepius incertus, quo nos fata sint delatura. Haec me invitum etiam meditantem, non solum tepescere a litterarum studiis, sed et amicorum, et meimet oblivisci quandoque compellunt. Multis enim antea tempestatibus agitata est haec nostra navis, sed nunquam adeo gravem ventum experta est, quin vim fluctuum rectorum sapientia superarit. Nunc vero iis ventorum turbinibus conflictamur, ut ad nostram salutem, potius divino, quam humano consilio opus esse videatur. Accedunt difficultates, quibus patria vexatur, quae si me non moverent, non solum ferreus, sed stultus essem. Conficior igitur curis cum videam id, aetatis virum semper vitam inchoare oportere, nihilque esse exploratum, quo certum vitae genus possim ad quietem, et otium deligere. At inquies; virtus est advocanda, et se referendum ad ea studia, quae nos ejusmodi molestiis vacuos possunt reddere; satius id esse fateor; sed tum virtus rara est, nostra vero studia leviuscula, tum si homines simus, necesse est, nisi stipites omnino velimus esse, nos rebus turbidis commoveri. Neque enim sum ea mentis atque animi firmitate, ut non perturbar cum publicis incommodis, tum privatis, quae eo sunt graviora, quo minori auxilio sublevantur. Sed haec hactenus.

Credo te audisse casum Cardinalis Florentini, quem ego addam numero caeterorum. Nolo insectari verbis mortuos; sed miror Dei patientiam adeo diu tantam iniquitatem, tantam labem saeculi nostri tulisse. Itaque gratias ago, quicunque ii fuerint, auctoribus tanti boni. Vale, et me ama. Florentiae VIII die Aprilis (1). Hanc epistolam cum in quemdam cartharum cumulum conjecissem, majoribus autem molestiis patria vexaretur, oblitus sum ad te mittere. De rebus communibus ab aliis senties. Camerarius noster abest: sed gaudeo optimam de eo famam ad nos perferri. Laudatur enim ejus humanitas ab omnibus, neque quidquam ab eo desideratur, quod boni praesidis officium requirat. Iterum vale die XXVI.

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Prudentissimo viro Magistro Ricardo Pettewort domini Cardinalis Wintoniensis Secretario, fratri carissimo.

Gaudeo, mi suavissime Ricarde, litteras meas, et eam praesertim particulam, qua tibi te ipsum commendabam, placuisse tibi. Signum id quidem et argumentum est animi resipiscentis a supervacuis curis saeculi, et jam de se ipso cogitantis. Id quoque mihi placuit in tuis litteris, quod asseris te jacturam declinantis aetatis sentire, et

(1) Anni 1440

jam oculorum aciem hebetantem. Sed accipe a Poggio tuo medelam, quae in libris medicorum minime continetur. Levis oculorum est hebetatio, si mentis lumine roboretur: hi enim sensuum defectus tolerantur facillime ab iis, in quibus animus viget, et vires exercet suas. Unde et Apostolus ait, cum infirmaretur se esse potentem. Itaque visus debilitas mentis animique valitudine sustentanda est: aequo animo ferimus, mi Ricarde, id damnum, quod majori commodo resarcitur. Quare vaca deinceps bonae menti, et consulas futurae vitae. Quod mei libelli tibi placeant, gratum est mihi, gratiusque erit, si sensero illum praesertim, qui contra avaritiam est, tibi profuisse. Ego, ne omnino sim ocio inerti, vaco litteris et libris meis quantum datur temporis a publicis ac privatis curis, et aliquid ago tum pro mea, tum pro communi utilitate. Edidi nuper librum de infelicitate principum (1), docens tum ratione, tum exemplis, et bonos, si qui fuerunt, et malos principes omni felicitate privari: neminem vero eorum, qui habiti sunt, felicem fuisse. Felicitatem vero, de ea autem loquor, quae inter homines versatur, magis in privatis viris esse, quam in eis, qui caeteris dominantur. Id agitur a me, ut ostendam virtutem esse felicitatis omnis originem et firmamentum, sine cujus possessione nullus esse felix potest; sed ita rara videtur societas prin-

(1) Opusculum de Principum infelicitate a Poggio dicatum fuit Thomasio Sarezanensi, Apostolicae Sedis Subdiacono, qui postea fuit Nicolaus Pontifex quintus hujus nominis.

cipum cum virtute, ut seclusi ab hac felicitate esse putentur. Dabo libellum transcribendum Poenitentiario tuo, ut spretis potentium liminibus, te compares ad consequendam felicem vitam, cum legeris librum. Sed vereor an ita constans sis futurus, ut totum libellum perlegas. Si mihi credes, consules canitiem tuam et albentes capillos: hi enim te hortabuntur ad lectionem, et ad doctrinam libelli invitabunt. Sed haec hactenus. Marsupium placuit uxori, quae ex eo tibi gratias agit. Commenda me domino communi, domino Cardinali, quem divitiis supero. Vale, et mei memor. Florentiae die XXIV Maii 1440.

EPISTOLA XXIII.

Poggius pl. sal. dicit reverendissimo in Christo Patri, et domino meo singularissimo domino Cardinali Aquilejensi, Domini nostri Papae Camerario, Apostolicae Sedis Legato.

Ago tibi gratias, praestantissime pater, pro litteris quas ad me scripsisti. Est profecto singularis humanitas, cui inter tot undique incumbentes curas, inter tot negotiorum strepitus in mentem venerit Poggii sui: hoc certe a summo tuo erga me amore proficiscitur, cui etsi caeteris in rebus nequivero, at saltem litterarum officio respondebo. Ruri eram aedificandi cura intentus, cum tuae mihi litterae redditae sunt: nam post tuum discessum utplurimum absens fui. Postea enim quam

lucri facultas adempta est: malui rusticus, quam urbanus esse, ubi et minus curarum, et plus consolationis adest: et ea loca ad veram philosophiam, et litterarum studia sunt aptiora, quieti quoque mentis magis accomodata. Non enim circumstant, qui me quotidie percontentur: et quid nam novi? neque ego itidem ab aliis sciscitor quid agatur, neque de statu rerum publicarum ultra portiunculam laboro; libellos quoque meos aliquando consulo, quid mihi agendum sit, cupiditatibus modum ponens, qua vita nihil quietius, nihil dulcius esse potest. Ad hanc ego te vitam vocarem, si aut status tuus, aut tempora paterentur. Sed postquam id fieri nequit, te hortor, ut in hoc genere vitae, quod ingressus es, et honori, quod semper fecisti, consulas et dignitati: haec optimo cuique vita (de his loquor, qui in rebus publicis versantur) proposita esse debet. Vale et tuum in me amorem conserva. Florentiae die XII. Septembris 1440, qua die in urbem redii.

EPISTOLA XXIV.

Poggius pl. sal. dicit Alfonso suo.

Vir clarissimus Valascus tuus, vel noster potius, retulit dudum mihi te reperisse in Monasterio Altobassi Aulum Gellium noctium Acticarum integrum neque lacerum, ut noster est. Gavisus sum propter communem utilitatem doctorum virorum, tum propter honorem tuum. Non enim

arum gloriae accedet tuo nomini ex hoc tam berrimo lucro, quod multo pluris, quam auri iesaurus aestimandum est. Est quidem immortalis ola gloria litterarum, quae caeteris rebus prae- at, ne sint mortales. Equidem me profiteor fore uccinatorem tui nominis, si tua opera hic egregius uctor, quem negligentia hominum laceravit, et ene discerpsit, sanus atque integer restituetur obis. Da te igitur huic operi potissime, ut liber anscribatur, vel pingatur potius ad alterius simi- tudinem, et id cura, ne quid desit litterarum raecarum. Tum autem incumbe, et id effice, ut ber quamprimum ad nos mittatur, et eo modo, t salvus adveniat. Praeterea te rogo majorem in iodum ut rursus pervestiges diligenter, qui libri int gentiles in eo monasterio, in quo plurimi esse icuntur: praecipue vero Ciceronis nostri librorum uram habe, an ibi essent libri Achademici, de onsolatione, de gloria, de legibus, qui est omni- ius membris intercisus. De Livio insuper, et aeteris historicis perquire: plura insuper volu- iina epistolarum Ciceronis, et orationes multae esunt nobis. Fac, te oro, inventarium librorum mnium, qui gentiles appellantur, et ad nos mitte. Non enim dubito, quin aliquid lucremur ex hac ua industria, si solitam diligentiam adhibueris. Ioc nihil praeclarius, nihil laudabilius, nihil tibi ionorificentius potes agere; quod ut facias, te locti omnes et litterarum studiosi summopere leprecantur. Vale, et ne obliviscaris antiquae

consuetudinis nostrae. Florentiae die XX Septembris 1441.

EPISTOLA XXV.

Poggius pl. sal. dicit Cosmo de Medicis V. C.

Memor hac nocte cum domum redissem sapientissimi consilii tui, coepi aliquam occasionem scribendi, sumens mecum cogitare, quantum hic dies ab hesterno differret, quantumque animi hominum voluptate quadam, et lasciviore vivendi licentia laetarentur. Vitae vero modestiam, continentiam, temperantiam respuerent, et graviores mores. Hesternus enim dies inter varios mimos, inter dissonos cantus et sonos, inter vinum et epulas uberiores, in luxu, plausu, laetitia absumptus est, quasi in summa lasciviendi libertate desipiendi occasio quaereretur: adeoque hic dies exhilarationi animi, vacationique curarum ubique gentium tribuitur, ut velle quempiam in communi stultitia sapere summa insania videatur. Hodie vero cum abjecta corporis cura, sanctimoniae vitae, atque animo colendo vacare admoneamur, mutato vultu, moesti, silentesque procedimus, et quasi lugentes hesternum tam cito diem evanuisse. Haec cogitanti haud immerito in mentem venit Senecae sapientissimi viri sententia qua admiratur, quam multi corpori, quam vero pauci animo operam darent. Nam cum plurimi sint constituti dies

quibus partim vacare virtuti, partim corpori indulgere concessum est, animo dicati dies nullo exquisitiore apparatu, nulla pompa, nullo ornatu, velut ab invitis, aguntur; quos vero corporis indulgentia sibi conscivit, vultu laetiore, ornatiore cultu, impensiore opera ac studio celebramus; ut mirum sit ad lasciviam vitae tam promptos esse homines, ad cultum vero animi tam remissos. Neque ego nunc ludorum jucunditatem, mimorumque usum, et curarum intermissionem interdico, quippe qui et his delecter, homo enim sum, ut Terentianus Cremes inquit, nihil humani a me alienum putans, et legerim priscos illos doctissimos ac sapientissimos viros ludis publicis interesse solitos, et in scenis mimos, et fabulas spectasse, et quaesisse saepius a publicis ac privatis negotiis relaxationem. Sunt enim, tanquam ad indicendas animorum ferias, ludi jocique adinventi, quibus et ipsi a curis et corpora a negotiis recrearentur. Sed et illud admirari cogor, cum tam variae artes sint repertae, partim ad studium corporis, partim ad animorum nutrimenta accomodatae: nos ea, quae ad corpus spectant summo studio, summaque diligentia prosequi, animi vero disciplinam veluti gravem atque asperam contemnere, atque abjicere, et eam partem nostri sinere incultam atque abjectam esse, quam maxime excoli, atque ornari oporteret. Sed paucorum est virtutem appetere, et bona animi nosse. Nam major pars mortalium more belluarum appetitum sequitur, ad id solum prona atque intenta, quod voluptatem afferat,

nihil ad animum, omnia ad corporis oblectamenta referens. At vero nos (de his autem loquor, quibus Dei bonitas dedit, ut vulgo praestarent) partim sequi caeteros, partim praeire debemus, et aliis iter ostendere. Id agamus, inquit Seneca, ut non contrariam caeteris, sed ut meliorem vitam agamus. Itaque non aspernabimur ludos, non dies festos contemnemus, et stultitiam publicam, non rejiciemus hilariora convivia, non parcemus vino non abstinebimus jocis, et liberiore sermone: dabimus curis ferias, et velut institium nobis una cum reliquis indicemus: hoc inter nos et illos tantum intersit, quod cum illi nunquam resipiscant (semper enim sunt stulti) nos ratio reducere domum faciat, nec ulterius sinat prolabi, quam recta cogitatio postulet. Id enim est maxime prospiciendum nobis, ne dum levare animum volumus, opprimere ac prosternere videamur. Modus quippe cum omnibus in rebus adhibendus est, tum vero in iis praecipue, quae ad animum spectant: cujus negligentia periculosior est, et majori afficit homines calamitate: hic autem cum sit rerum omnium difficillimus, omni ope est adnitendum, ne nimis ab ejus praescritione dilabamur, cum ii boni haberi possint juxta veterum sententias, qui in paucioribus deliquerunt. Vale Florentiae XVI kalendas Martii (1).

(1) Anni 1442.

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit viro doctissimo Francisco de Padua Pontificis Cubiculario.

Ego qua die a nobis recessisti, cum tui videndi gratia domum tuam venissem, comperi te paulo antea ferme solum abiisse aspernantem, ac fugientem has pompas, quas in recessu amicorum officiosi praestare consueverant. Quod quamvis mihi fuisset molestissimum privari jucundissimo congressu tuo antequam discederes, tamen mihi carum fuit te inprimis habuisse rationem valitudinis tuae. Postmodum vero neminem ex tuis vidi, ad quos soles scribere, quin de te rogem, deque tua valitudine, quae mihi summae curae semper fuit, propter singularem tuam in me benivolentiam et optimos ac suavissimos mores. Velim hoc mihi credas, mi Francisce, in hominum conjunctione et amicitia quaerenda, nunquam fortunam me esse secutum, sed doctrinam, virtutem, mores, vitae integritatem, quae cum in te semper esse, non solum perspexerim, sed expertus sim, complexus sum toto te animo, et in te quicquid in me est benivolentiae et amoris transfudi. Itaque de te sollicitus, cujus plurima sunt in me summi amoris officia, quaero diligenter, an valeas, et quid agas. Pridie vero Samuel noster, cum de te percontarer, mihi dixit, quod me summa laetitia affecit, tibi pristinam valitudinem

restitui, et in diem fieri meliorem, addiditque desiderare te litteras meas. Utinam tam in reliquis, quam hac una in re possem satisfacere tuo desiderio. Ita enim sum ociosus, ut non solum epistolis, sed libellis te possem obruere. Sunt et publicae res ita in diem variae et multiplices, ut quemvis in eis recensendis, ne dicam scribendis, copiosum queant reddere. Sed de his ab aliis te scio fieri certiorem, et etiam si caeteri silerent, mihi persaepe ita molestae sunt, ut oblivisci mallem, quam litteris committere. Video multa parari, multa impendere, quae, quo diutius mente pervolveris, eo magis animum perturbant, cum nullus videatur certus rerum exitus, ex quo pax, aut otium sequatur. Eo autem progressi sumus, ut humano consilio minime videantur haec explicari posse. Quare harum rerum primum Deo, tum principibus, quorum de statu agitur, curam relinquo. Mihi satis superque satis est, rei domesticae et praedioli, quod nuper emi sollicitudo; sum enim in eo excolendo factus semirusticus. Magna est enim rei rusticae voluptas, senibus praesertim, in qua oblector plurimum, et cum ex rerum natura, tum ex agri colendi arte, quae et honesta est, et quaestum affert uberrimum, summam voluptatem capio, oblitus curarum quae et supervacuae sunt, et molestiis plurimis animum conficiunt. Confero me etiam saepius ad studia nostra in quibus magis acquiesco, quam in ullis ex iis rebus, quas vel videmus quotidie, vel audimus. Et certe in litterarum studiis omnia praesidia sita sunt, quae ad

bene vivendum spectare videatur: haec mihi tum aegritudines omnes demunt ex animo, tum hortantur ad ea contemnenda, in quibus, plus fortuna possit, quam ratio, docentque, ut ea parvi faciamus, ad quae expetenda defertur communis insania vulgi. Tu velim ut primum valitudini resarcendae des operam diligentem, quae caeteris exterioribus bonis est jucundior, ac praetiosior, tum vero non omittas studia tua pristina, ut, cum corporis cura, et animi quoque cultus sequatur. Sed in primis rationem, ut bene valeas, habe. Ego tuus sum. Vale mi suavissime Francisce. Florentiae pridie kalendas Junias (1).

EPISTOLA XXVII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Barbaro Equestris Ordinis viro primario.

Si tecum silui diutius quam jus nostrae amicitiae postulabat, id quidem Hermolao nostro tribuendum est. Nam cum jamdudum libellum de nobilitate edidissem, eumque cuperem ad te quamprimum perferri, ut de eo sciscitarer sententiam tuam, tradidi transcribendum Hermolao, et simul dixi me ad te litteras velle scribere, ut una cum libello tibi traderentur. At is ita negligens in scribendi cura fuit, ita tardus in mittendo, ut jam non solum tui, sed mei quoque oblitus essem.

(1) Anni 1442

Sollicitavi eum quandoque, sed nolui esse molestus, ne viderer res meas pluris facere, quam sint aestimandae. Pridem vero cum vir doctissimus, tuique amantissimus Petrus Episcopus Brixiensis ad vos veniret, libellus sibi datus est, ut tibi redderetur. Scripsi quoque laudationem Laurentii de Medicis viri optimi, mihique amicissimi dum vixit: eam quoque ut legeres cupiebam, sed eam Hermolaus domi retinuit oblivione, ut videtur, atque incuria; spero fore, si eam legeris, ut placeat tibi: nam non fictas sed veras laudes collegi addens ornatum verborum non fucatum, sed qui, ut ejus virtutibus prodire videatur. Postules eam volo, et aliis legendam trade; ut ejus viri, quo cum tibi summa necessitudo fuit, quique summa fide et humanitate amicos semper coluit, virtus non delitescat. Ego quod potui officium mortuo praestiti. Tui est, hominis famam, hac mea laudatiuncula explicatam, notam reliquis facere, ut et illi honor debitus tribuatur, et tu ex pietate laudem consequaris. Vale, et si litterae informes sunt, annis tribuito. Nam ut sapientissime ait poeta noster, omnia fert aetas. Florentiae kalendis Junii (1).

(1) Anni 1442

EPISTOLA XXVIII.

Poggius pl. sal. dicit V. C. Francisco de Padua Summi Pontificis Cubiculario.

Quaerebam pridie ab ornatissimo viro Bartholomeo Roverella nostro, an recentiores aliquas litteras a te recepisset, et quomodo valeres. At is respondit, se pridie ejus diei a te epistolam habuisse, qua ei significabas, te nondum satis firma valitudine esse, quod mihi sane pro nostra amicitia molestissimum fuit. Eodem die Samuel tuus mihi tuo nomine salutem dixit, et simul ostendit particulam litterarum, qua te philosophaturum scribis, si per valitudinem liceret. Dispeream, mi Francisce, ni cupiam te aeque ac me ipsum valere. Tanta enim semper fuit tua in me benivolentia; ea tua in me merita extiterunt, ut omnia, et velle, et quaerere debeam, quae ad tuam salutem pristinam recuperandam spectare videantur. Itaque cogitans, quaenam remedia adhiberi abs te possent, ut hoc morbi genus a te avellatur funditus, venit in mentem aquarum, quae vocantur « la Porreta ». De his audivi plurima ad hujusmodi aegritudinem levandam ab his, qui ea balnea experti sunt, et ipse sum expertus in Raphaele nepote meo, qui cum simili morbo detineretur, adeoque esset exinanitus viribus, ut vix se ipsum sustentaret, hujus aquae potu et lavacro liberatus est. Omnes medici illas aquas laudant; quidam,

ad extorquendum ab aegris pecunias, ejus virtuti detrahunt, sed experientia rerum magistra monstrat mirabili quodam modo eas aquas ad similes aegrotationes conferre. Itaque consule peritos, quid in rem tuam futurum sit, et quid tibi condecere existimant: hoc non consilii gratia, sed ut quid in mentem veniat, te certiorem faciam a me scriptum. Tu quid tibi condeceat, diligenter considerabis. Id dixisse velim si hoc morbo detinerer, ad ejus curam me nulla alia remedia adhibiturum. Quod in doctissimorum virorum lectione continuo versaris, eosque tecum circumfers, facis tu quidem optime. Licet enim non auferant morbos a corpore, afferunt tamen animo vires, quibus adversam valitudinem aequa mente sustineamus. Itaque quatenus valitudo patitur, incumbe studiis his, quae cupiditates demunt; iter virtutum suadent; libertatem veram largiuntur, et mortalia spernere docent; et quod omnium maximum est, mortem contemnere. Ego multo plura, quam merear a Deo sum consecutus: tamen si his copiis essem, quibus esse deberet homo non omnino rudis, diutius versatus in Curia, quaestui finem facerem, cum statuerim modum cupiditati, et libris meis operam darem, quos intelligo, plus mihi quam reliqua omnia profuisse. Sed haec satis. Tu valitudinem tuam diligenter cura, et me, ut soles, ama. Florentiae die XX Junii [1].

1 Anno 1448

EPISTOLA XXIX.

Poggius pl. sal. dicit Francisco de Padua viro doctissimo Pontificis Cubiculario.

Samuel tuus, vel noster potius, reddidit mihi pridie litteras tuas mihi quidem exoptatissimas, quae me summa voluptate affecerunt. Sunt enim plenae humanitatis, benivolentiae, suavitatis, officii; quae te semper, et reliquis, et mihi maxime commendarunt, carumque fecerunt. Nam opes, divitiae, dignitates ne dum amorem hominum persaepe non praestant possidentibus, sed saepissime odium afferunt, et malivolentiam. Blandiuntur plurimi ad suum quaestum et utilitatem ejusmodi viris, qui caeteris dignitate praesunt: rari autem diligunt, aut amant, neque accidit injuria. Malunt enim quidam honorari, aut timeri, quam diligi; quo fit, ut in praesentia tantum colantur per causam privati commodi; quod ubi abest negliguntur, neque absque malivolentia per ora hominum versatur eorum nomen. At vero hae virtutes, quas in te esse cognovi, humanitas praesertim, qua complecteris viros doctos, et praesenti praesto adsunt, et abeuntes prosecuntur utroque in loco, et praebent eum fructum, qui est suavissimus ex talium virorum memoria, et efficiunt, ut perpetua in amicis eorum jucunda recordatio existat. Non loquor assentandi, aut adulandi gratia: nam id vitium longe a me abest, mi Francisce,

sed quia ita sentio. Ego te semper unice dilexi ex quo te vidi nihilo elatiorem factum ex summo loco, quem apud Pontificem tenes, neque tumentem, aut inflatum, ut multi, qui praeter formam, omnia asello similes fiunt, sed mitem, humanum, neque contemnentem inferiores. Id vero praecipue admiratus sum, et maxime commendavi in tanta licentia te nocuisse consulto nemini, omnibus profuisse; quae quidem virtus praecipua est, et nemini vulgaris. Haec ob eam rem scripsi, ut videas causas amoris in te mei. Multi sunt te potentiores, et altiori fastigio constitui, quos quidem aperte contemno. Virtus et humanitas, quam sequor, et quod etiam pluris aestimandum est, multa in me tua officia et merita impellunt, ut sit amor quidam praecipuus in te meus. Nunc veniam ad litteras tuas. Meam epistolam tibi jucundam fuisse gratissimum est mihi. Gaudeo autem te in patria constitutum, inter amicos pristinos, et libros tuos ita versari, ut et corpori indulgeas, et animum colas iis artibus, quae habentur optimae. Valitudinem ferme restitutam summe laetor. Id vero scribis sapientissime, si modo ex animo prodiit, te libenter effugisse has infernas curas, et strepitus Curiae: dicendum erat furias, si id liceret. Nam in ea ad saeculum omnia, ad religionem pauca referuntur: ambitio et cupiditas mala, tum lucri appetitio apud nos imperium suum exercent. De virtute aut bene vivendi artibus nulla cura, ut mirandum sit in coelesti, ut ajunt, monarchia tantam esse rerum coelestium oblivionem.

Omnis nostra cogitatio in terrenis versatur, et iis rebus, quae partae majorem molestiam afferant, quam amissae. Itaque prudentissime feceris, si haec non omnino abjeceris, sed posteriora duxeris quiete animi et virtute. Ego priorem vitam sequor inter rusticana opera et studia tempus terens. Edidi libellum de infelicitate principum, quem, nisi cito ad nos redieris, curabo ut Samuel noster transcribat, et ad te mittat. De rebus communibus ab aliis cognosces: praesentia, praeter Oedipum aut Sybillam, intelligeret nemo, adeo sunt involuta, et variis ingeniis tractata. Quid censes de futuris, quorum praedictio divina est? Nos quidem multam pastam conficimus, nullos panes; opinione, non re laboramus. Sed haec nimis. Nihil tam homines impedit ad sapientiam pervenire, quam existimare se ad eam jam pervenisse. Hoc quam multis accidat saepius, quam expediat, experti sumus. Vale, et me, ut soles, ama. Florentiae die XVII. Julii (1).

EPISTOLA XXX.

Poggius pl. sal. dicit Francisco de Padua V. C.

Cum in bibliothecula mea essem non omnino ociosus, Samuel reddidit mihi litteras tuas suavissimas, quidem mihique exoptatissimas, quibus e vestigio in ipsa legendi cupiditate sumpto calamo

(1) Anno 1442.

his paucis respondi. Non miror id tibi accidere viro doctissimo in rebus gravioribus, mi jucundissime Francisce, quod mihi, qui versor in his levioribus humanitatis studiis, usu venit. Nam si cum domi inter libros reclusus, vacansque eorum lectioni, qui me, et ad eloquentiam, et ad vitae integritatem possunt instituere, nedum caeterorum persaepe obliviscor sed et mei ipsius, et rei familiaris, ita distrahitur quandoque animus legendi, discendique cupiditate, quid tibi putem contingere tractanti philosophiae, rei gravissimae, praecepta, quam vitae ac morum magistram profitentur omnes, omniumque bonarum artium parentem, cujusque tractatio, cognitioque singulare ingenii acumen requirit? Equidem nisi quandoque a continuo legendi usu aliqua re levinscula animus abducendus esset, mirarer potius scribere te ad Poggium quam silere. Sed jucunda est amicorum memoria absentium, quae nisi litteris servaretur, dilaberetur certe in oblivionem, quod ne accidat, epistolis, quae inter absentes loquuntur, interpellandi sunt aliquando, et a studiis avocandi. Neque hoc in loco studiorum intermissio culpanda est, cum etiam eadem ipsa studia, quibus vacas, humanitatem colere suadeant, indulgere corpori, et amicitiam servare. Neque est quod te purges sero meis litteris respondisse. Nihil enim sero fieri putandum est, quod bene et amice et honeste fit, in re praesertim, quae nullam requirit celeritatem. Mihi autem gratissimum est vel paucissimis verbis rescribere te mihi, quoniam calcari quodam mo-

veor ad scribendum, sumens a te epistolae argumentum. Quod bene valitudini consulis, facis tu quidem sapienter: cum ea sit tanquam condimentum caeterorum bonorum, quae fortuita appellantur. Quod vero haec Curiae negotia, veluti impedimenta philosophandi, ex animo reliquisti, teque in veram libertatem contulisti, vacans optimarum artium studiis et virtuti, summe laetor, et hunc animum tibi cupio esse perpetuum. Unus enim dies philosophiae deditus, et cum virtute actus, ut inquit noster Cicero, peccanti immortalitati est anteponendus: ex hoc laus, ex hoc quies animi, et vera gloria comparatur: et qui haec virtutum studia secuti sunt, celebres etiam post obitum vixerunt. Illi vero, quorum animus divitiis, opibus, dignitatibus occupatur, et dum vivunt mortui sunt, et post mortem perpetua oblivione sepulti. Itaque, mi Francisce, posteaquam natura tibi acre ingenium dedit, et voluntatem diligentia largita est, opes autem necessarias indulgentia in te Pontificis concessit, sequere, quantum ratio valitudinis patitur, studia, quae coepisti, quae te rediment a vulgi molestiis, et te tibi imperare docebunt; quod est maximum omnium profecto imperium, et prae caeteris laudandum. Condeceret rebus meis te esse in Curia; sed valitudo tua, quies animi, virtutis studia, libertas omnibus meis commodis sunt mihi jucundiora. Librum meum nondum Samuel scripsit: fuit enim litigio quodam lacessitus, vel potius laceratus; sed fiet quamprimum, et ad te mittetur. Mihi crede, ejus lectione

confirmaberis in ea qua nunc es opinione, et privatam vitam, quae quidem non sit virtutis vacua, in qua est vera libertas, omnibus imperiis anteferendam judicabis. Vale, et me, ut soles, ama. Florentiae die XII. Septembris (1).

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Comensi.

Posteaquam a nobis recessisti, pater optime, nihil accidit neque publicis, neque privatis in rebus, quod requireret ad te litteras meas. Cogitabam tamen aliquid ad te scribere post confectam pacem, et tecum gratulari id secutum esse quod optabamus; nisi videns quibus radicibus niteretur, incertus animi essem, quos fructus esset allatura. Nam certe ea sunt ingenia vestrorum, plus ut dubitare multo in diem cogar, quam certae spei quicquam habere. Sed haec fors viderit, qua res hominum, magis quam ratione aguntur. Conscripsi post tuum discessum ociosus libellum de infelicitate principum, in quo quid minervula nostra valuerit, aliorum erit judicium. Id ea lucubratione sum consecutus, ut penitus vitam meam et victum, qualiscunque is est, omnibus dignitatibus anteponam, felicioremque me solum existimem, quam omnes nostrae aetatis principes, si quidem mihi multa adsunt, illis omnia ad felicitatem

(1) Anni 1442.

desunt. Egi cum Gherardo ac Francisco, ut opusculum transcriberetur, ac mitteretur tibi. Nam postquam fortunae desunt munera, saltem ingenioli mei monumenta ad te curavi perferenda, in quibus certus sum pro tua humanitate te multum legendo voluptatis esse capturum. Nam tum ratione, quae potissima pars est, tum auctoritate, tum vero exemplis ostenditur vitam esse principantium infelicem, qua in re si quis se laesum putabit, is omnium erit infelicissimus. Cum librum legeris, scribito ad me de eo tuam sententiam: ut, aut tua cohortatione alia ingrediar, aut castigatione sim vel remissior, vel diligentior in scribendo. Et simul Archiepiscopo nostro viro doctissimo, et Candido insuper, cujus est singulare ingenium in dicendo, legendum tradas, si tamen dignam rem judicabis, quae in manus eorum adire mereatur. Et quoniam ad te mitto quae apud me sunt munera, tu quoque aliquid de tuis ad me rebus velis perferri, et praesertim unum caseum prioris illius annui cibi similem. Id mihi donum gratissimum erit, et tibi, si egeris, litteris gratias agam. Ego omni negotio vacuus dedo me litteris, et rei rusticae: emi enim praedium urbi quatuor millibus passuum propinquum, in quo colendo multum operis laborisque impertior magna cum animi voluptate. Est enim haec honestissima prae caeteris senilis oblectatio, in qua ita consolor, ut exceptis litteris nihil agam libentius. Sed hac de re diligentius, verbosiusque, cum caseum miseris:

alias calamus arescet. Vale et me, ut soles, ama (1).

EPISTOLA XXXII.

Poggius pl. sal. dicit Scipioni Episcopo Mutinensi.

Nihil fuit post discessum tuum, compater optime, quod aut me ad te scribere, aut a me te audire oporteret, neque nunc quidem quicquam est novi, quod meas litteras requirat. Nam et res familiaris eadem est, quam reliquisti, et de publicis scio te ab aliis fieri certiorem. Curiae vero non idem, qui prior, status, quae ita exinanita est, ut extremum spiritum ducere videatur. Neque est quod praesentem conditionem aliqua consoletur spes, ita desperatio quaedam futurorum mentes hominum occupavit: salus ipsa si cupiat, ut ait Terentius, nos salvare non posset. tot angustiis circumsidemur: nostri ipsi, si quiqni nos exhauriunt nostri sunt, ita sunt nostri, ut sui magis quam nostri habeant rationem. Sed, ut Cicero ad Atticum scribit, haec fors viderit, quae talibus in rebus plusquam ratio potest. Ego omni negotio publico ac omni lucro vacuus, tum rure sum maxime, tum paulo vaco litteris. Neque enim animus perturbatus ratione temporum, cum utriusque reipublicae molestias et anxietates videat, quiete ea fruitur, quam appetunt studia litterarum.

(1) Anni ejusdem 1442.

Scribendi vero cura omnino adempa est, et omnes meae scribendi rationes refrixerunt. Antea Curiae opibus sustentabar, nunc plane algeo nil opis percipiens ab ea. Ut autem nosti, non est locus musis ubi rei privatae solicitudo mentem occupavit; quiete animi et ocio opus est, si quid quis velit scribere. Nihil ne litterae, inquies, proficiunt, et ante acta vita? Multum illae quidem: sed res durissima est egere tum omni aetati et tempori, tum praesertim senectuti, et eo maxime tempore, quo nulla nos spes sustentat. Enim numquam pecuniae cumulandae studiosus fui, plurisque semper litteras et virtutem feci quam quaestum, cujus rei me minime poenitet. Nam illae persaepe molestias et curas afferunt; hae semper consolantur, et praesto sunt ad curandos morbos animi, laudem insuper et gloriam honestam largiuntur, quae sunt omnibus divitiis potiora. Dicitur Pontificem esse discessurum, quod si erit, ego continebo me domi, ubi honestius egestatem feram, quam apud externos. Est enim antiqua sententia, quam Cicero noster refert. Ubi non sis, qui esse soleas, non esse velis. Haec ad te scripsi, tum ut aliquid vel molestum scriberem potius quam nihil; tum ut te ad rescribendum provocarem. Scio enim te esse ociosum et inter tuos sacerdotulos jus dicere ex priscorum annalium monumentis. Mitterem ad te libellum, quem edidi de principum infelicitate, si invenirem qui ad te deferret. Vale, et mei memor. Florentiae die XII. Octobris (1).

(1) Anni 1442.

EPISTOLA XXXIII.

Poggius pl. sal. dicit reverendo Patri in Christo Episcopo Regino.

Si, pater optime, ita tibi gratias referre pro tuo munere possem, quemadmodum agendi facultas datur, agerem id libentius, cum sit boni viri, qualem me esse cupio, officium, non tantum pares reddere, sed etiam ampliores. Sed quoniam potestas, quam cuperem, adempta est, utar eo genere, quo possum, ut saltem verbis videar esse gratus. Et quidem eo magis hoc donum aestimari a me decet, quo a propensiori liberiorique profectus est voluntate. Ultro enim ac sponte, non solum non rogatus, sed ne admonitus quidem, rem obtulisti, quae mihi fuit acceptissima. Nam si etiam petentibus nobis quae conceduntur, grata esse solent, quanto gratiora quae ultro, et ne id quidem cogitantibus, offeruntur? hoc quod a te accepi, licet non admodum magna res sit, tamen fit maxima tuae erga me benivolentiae significatione. Duplex enim debetur gratia, altera muneris, altera animi liberalis, quorum utrumque cum pluris sit aestimandum, voluntas tamen, in qua versatur amoris significatio, est praeferenda maxime. Ego autem pro utraque re gratias tibi ago, sed pro animi munificentia uberiores. Nullo enim officio a me provocatus, nisi forsan benivolentiam erga te meam beneficii loco putas, me tibi arctiori

inculo obligare voluisti; quod quidem assecutus es. Nam ita velim tibi persuadeas, me toto, ut ajunt, pectore tuum esse. Dilexi te antea propter singularem doctrinam et virtutes tuas, quae doctos viros, quorum ex numero esse vellem, primum benivolentia conjungit, postmodum etiam amicitia. Nunc vero magnus cumulus accessit ad amorem meum, adeo ut facile te existimem judicaturum e non omnino in hoc tuo dono operam perdidisse. Vale, et me ama. Florentiae XVII. kalendas Novembris (1).

EPISTOLA XXXIV.

Poggius pl. sal. dicit Cosmo de Medicis ornatissimo atque optimo Viro.

Si unquam mihi antea rei rusticae cura, et ita ei exercitio dedita jucunda visa est, ac suavis, nunc his paucis diebus, quibus in solo natali vixi procul a Curiae molestiis constitutus, jucundissimam ac suavissimam judicavi, dulcis otii, honesti negotii, et modestae voluptatis plenam. Cognovi enim hoc vivendi genus, quod multi praeclari viri posthabitis rerum civilium fluctibus elegerunt esse maxime expetendum; cum in eo vitam quietam, liberam, honestam, frugalitati conjunctam agere valeamus. Ut non miror Horatii Flacci ruris vi-

(1) Anni 1432

dendi, cum iu urbe esset, cupiditatem; qui scribens ad Moecenatem,

O rus (inquit) quando ego te aspiciam? Vel quando licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere solicitae jucunde oblivia vitae?

Et certe si qua virtuti et litteris vacandi via est, hanc profecto esse constat remotam a vitiis, et honestati propinquam. Neque vero eam existimo tantum a doctissimis quidem viris rei rusticae scriptoribus laudatam, quantum dignitas ejus, et merita erga humanum genus postulare videntur. Nam ut omittam quas utilitates ex agricultura percipimus; ut non recenseam quaestus uberrimos, quos largitur; quanta voluptas et quies mentis, quanta curarum remissio, quanta naturalis oblectatio, quanta virtus in ejus vitae ratione versatur. Haec est sola naturae hominum, usuique praecipue accommodata, quae omnia ad victum cultumque nostrum spectantia suppeditat nobis, ac subministrat. Haec est quae semota a tempestatibus civilis insaniae, tanquam ex quadam specula caeteros veluti naufragantes despicit, et contemnit; haec procul a malis vitiorum exemplis, relictis fori et contentionum jurgiis, sibi soli vacat et bonae menti; haec spretis supervacaneis cupiditatibus, contempta inani ambitione, neque superflua cupit, neque abutitur quaesitis: haec populari aura et vulgi honoribus nihil pensis honesto fruitur ocio, et animi tranquillitate, quae rarissime assequuntur qui urbana tractant, et vulgi plausum quaerunt:

haec est vere philosophandi dux, in qua et rerum secreta rimari licet, et bonos mores facile amplecti: haec bonis, haec sapientibus, haec doctis viris, haec regibus, atque imperatoribus digna exercitatio. Cyrus Persarum rex ille, a Xenophonte celebratus, gloriari solitus est hortum suis manibus consertum, et arbores in ordinem positas. Diocletianus depositis imperii insignibus in villa Salone agriculturae detinebatur studio, ut haec sola res veram quietem, et a curis superfluis vacationem largiri hominibus videatur. Hanc vitam cum multi egregie laudarint, Cicero noster in oratione pro Roscio, omnium laudes meo judicio superare videtur, qui eam parsimoniam, diligentiae, justitiae esse magistram tradit, maximeque disjunctam a cupiditate, et officio conjunctam. Quae laus haud scio, an in aliam vitam recte possit conferri. Plures excellentes doctrina viri, ut philosophandi studio, et bonarum artium pervestigationi facilius penitusque possent vacare, relictis urbibus se rus in vitam privatam contulerunt; ubi dies suos summa in quiete et honesto otio transegere. Multos vero civitatum gubernaculis inherentes civilis tempestas ad scopulos allisit. M. Tullius civilem vitam privatae anteponit, laudatque eos, qui ad gubernandam rempublicam accesserunt. At ipsi, et Demostheni multisque aliis eloquentissimis viris satius fuisset nullas reipublicae partes attigisse. Quamvis tali eloquentia Cicero in tanta imperii magnitudine, in tanta amplitudine honorum facile suam sententiam tueri

potest, cum ea quemvis egregium ingenio hominem queant incendere, et erigere ad laudis et gloriae appetitionem. Multum enim pollet in civitatibus vis dicendi, et ingenii laus; sed multi sudores, labores plurimi, vita anxia proposita est ejusmodi viris, et varii fortunae casus. Ego autem, cui senescenti quies et ocium cordi est, degentem rure commendo, et eum praesertim qui a cura rei rusticae ad litteras, tanquam in arcem animi, posset confugere. Neque ego nunc rusticana, aut fodiendi, aut arandi, aut plantandi, proprio sudore opera subeunda nobis censeo. Non enim sum Serranus, aut Cincinnatus, qui ab aratro ad Senatum accersebantur. Non sum Scipio ille superior Africanus, quem Literni exulantem agrum suis manibus coluisse Seneca scribit. Manus enim meae aptiores sunt, quam operae rusticanae, sed commendo vitam quietam, qua rure vivitur, curam laudo rerum rusticarum, conserendi, plantandique solertiam; laborem levem, qui corpus paulum exerceat, ac corroboret, probo; victus modestiam, integritatem vitae, remissionem animi, quae est vera ratio philosophandi. Non enim illic degentem rerum urbanarum strepitus, et solicitudo anxia premit; non curiositas supervacua noscendi mentem solicitat; non quicquid ubique terrarum agitur indagamus; non curis superfluis abrumpitur somnus; non pestilens invidia, non livor edax fraudem proximo machinatur; non scelerum officinae, quae errant urbibus, ad mala facinora impellunt; non sexcenta alia, quae civilis et

occupata vita nequit effugere, sed dulcis ac secura quies, vita frugi, et ocium officio plenum, omnibus honoribus ac dignitatibus praeferendum. Hanc vitam fidentius apud te extollo, quem scio saepius rus tanquam in portum ex civili inundatione confugere, delectarique admodum cultura villae, ac studio tum plantandarum, tum conserendarum arborum detineri, digno sane docto, liberoque homine exercitio: hortarer te ad eam vivendi normam, si aut res tua, aut tempora paterentur. Attamen si frequenter hos, quibus necessario implicaris, civiles tumultus lenieris jucunditate atque amoenitate ruris, et te in libertatem animi, quod etiam legendo ociosus acquires, quandoque vindicaris, cognosces vivere aliquando te tibi, et tempus id tuum esse, quod, aut in remissionem curarum ruri colendo impenderis; aut contuleris ad studia litterarum, quae est maxima omnium, et honesta voluptas, ac prae caeteris appetenda. Vale Florentiae die XI. Novembris (1).

EPISTOLA XXXV.

Poggius pl. sal. dicit Bartolomeo Baldanae suo.

Vir ornatissimus Nicolaus Lipoldus binas tuas litteras ostendit mihi, quarum alteris, scribis tetum ex Venetiis, tum ex Utino ad me Litteras

(1) Anni 1442

dedisse, alteris petis libellum mearum confabulationum. Primum scias, mi Bartholomaee, nunquam me post tuum discessum a te ullas litteras habuisse. Nedum enim tibi, quem unice diligo, sed cujuvis ignoto etiam responderem praesertim provocatus. Nunquam contempsi neque doctos viros, neque mihi, aut benivolentia, aut familiaritate, conjunctos. Cum te vero semper cognoverim amantissimum mei, non sum ita inhumanus, ut nolim tibi in amore respondere, et praesertim in officio litterarum, quarum impensa nulla est et labor exiguus. Quod de viro clarissimo Magistro Petro Thomasio scribis, non intelligo, quem ais dignum mea responsione. Unum scias carissimum esse mihi me diligi a multis, et me singulis mutuo amore respondere. Sed si alicujus litterae ad me non deferuntur, quae mea culpa est non rescribere ad id, quod penitus ignoro? Et haec de primis. Libellum confabulationum non possum ad te mittere, periit enim. Vir nescio quis nequam cum illum mutuo a me petisset, isque postmodum e memoria excidisset, nunquam restituit. Sed si ocium erit, denuo fabricabitur illud opusculum, et diligentius servabitur. Edidi nuper libellum de infelicitate principum, quem plures commendant: hunc si habere volueris, scribe Nicolao, ut laborem suscipiat transcribendi; placebit tibi ejus operis lectio, ut opinor. Certe id assequeris, ut magis tibi placeat vita privata, et te a principibus abesse non moleste feras, cum videbis, quanta virtutum inopia eos circumstet, et quibus torqueantur malis.

Vale, et me, ut soles, ama. Manu gelida, et festina Florentiae die XIII. Novembris (1).

EPISTOLA XXXVI.

Poggius pl. sal. dicit Reverendissimo in Christo Patri, Domino L. Cardinali Aquilegiensi, Domini nostri Papae Camerario, Apostolicae Sedis Legato.

Vetus est cujusdam sapientis viri sententia, praestantissime pater, plorandum esse quo die in lucem ederemur; quo vero mortem obiremus, laetandum. Quae opinio vera an falsa sit, paucos habuit sectatores. Ego vero communem errorem, si id error est, secutus, ex filio masculo, quem mihi nudiustertius Dei in me pietas largita est, summam laetitiam ac voluptatem sum assecutus, agoque gratias Salvatori nostro, qui, salva incolumique uxore, me dono quartae prolis (2) cumulavit. Qua in re spero largitorem ejus boni qui mecum fecit misericordiam suam, non solum mihi filium concessisse, sed eum filium, qui sit futurum fomentum paternae jucunditatis. Est in manu illius, a quo hoc donum accepi, quamdiu sit permansurus nobiscum. Sed sperare debemus opti-

(1) Anni 1442.

(2) Hic fuit Joannes Franciscus, quartus filiorum Poggii, postea Canonicus Florentinus. Magnam habuit aestimationem apud Leonem X, qui fecit eum Secretarium Apostolicum, quod officium servavit usque ad finem vitae.

ma, et aequa mente quaecumque acciderint ferre. Interim hoc, quicquid est temporis, frui decet ea voluptate, quae datur. Non parva, sed magni aestimanda res mihi videtur, suscipere liberos, tum omni aetati, tum praecipue senescenti, quae ipsa per se parum firma alterius sustentaculo et opitulatione egere videtur. Et quanquam nonnulli reprobi reperiantur et rebelles patribus, vim ipsi naturae afferentes: tamen haud scio, an majus, firmiusque subsidium nobis compararit. Sed maxima esse debet spes eorum in liberis susceptis, ut parentes colant, qui et ipsi suis genitoribus debita pietatis officia praestiterunt. Sicut enim quaedam vitia hereditaria esse videntur, ut philosophis placet; ita etiam quarumdam virtutum semina in filios videmus transfundi. Mihi ergo conscius qua observantia, qua pietate fuerim erga eos, qui me procrearunt, confido et liberos quoque meos parem mihi gratiam relaturos. Ob hanc maxime causam summe consolor, gaudeoque ex prole paulo ante suscepta, quam Deum rogo, si id satius nobis sibique futurum existat, ut mihi superstitem velit esse. Quocumque sit tamen res evasura, interim laetandum est, neque ullae molestiae, et forsan superfluae, animo nostro anticipandae. Hanc meam voluptatem tecum volui communicare, quia scio bonis te meis, his praesertim quae praecipua existimantur, aeque ac tuis gavisurum. Et quoniam ad impensam aliquid est additum, cura obsecro, ut mihi a Laurentio satisfiat; qua de re aliis litteris ad te scripsi.

Vale, pater optime, et mei, ut soles, memor. Florentiae XV. die Novembris (1).

EPISTOLA XXXVII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco de Padua V. C.

Vellem potius, ut praesenti verbis, quam litteris absenti tecum ex filio suscepto meum gaudium communicare potuissem; suscepissem enim una mecum voluptatem quae invicem amplior atque uberior extitisset. Si qua enim in re permissum est, in hac maxime laetari cum amicis decet, in qua est nominis ac memoriae nostrae propagatio. Tum vero per te fidem suscepisset, ut nostra amicitia sanctiori quodam vinculo cumularetur, quanquam enim amor noster minime augeri posse videatur, tamen hoc religionis additamento pietas quaedam videretur arctior esse contracta. Sed epistola tecum loquatur, dicatque Poggium tuum laetitiam pergrandem percepisse ex hoc filio, quem ut ajunt (nam uxor rure abest) pulchriorem caeteris sibi Dei beneficentia concessit, uxore praesertim salva, quod gaudium prae caeteris affert omni voluptate plenum. Haec tecum paucis communicare volui, quem scio amicissimum mihi. Compatri meo domino Camerario pluribus scripsi, quorum tibi copiam mitto, ut legendo meas ineptias tempus teras, cum cupis a curis

(1) Anni 1442.

animum relaxare. Vale, et me ama. Florentiae die XV. Novembris. Anni 1442.

EPISTOLA XXXVIII.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo Patri, et Compatri meo Scipioni Episcopo Mutinensi.

Scripsi ad te nuper litteras, quas existimo te recepisse. Nunc te volo participem fieri novae laetitiae, quam in me contulit Deus. Scias commatrem tuam nobis filium masculum peperisse die hujus mensis decimatertia, et eam Dei benignitate esse incolumen; puer fertur (nam ruri ortus est) pulchrior caeteris ac venustior, quod mihi summae est voluptati. Ex hoc ago gratias Salvatoris nostri pietati, quae mihi largita est hoc tam gratum munus, quaesoque ut sit perpetuum nobis. Haec tecum communicavi, ut una mecum percipias hanc animi nostri jucunditatem. Vale, et me ama, ac aliquid ad priores litteras responde. Die XV. Novembris Florentiae (1).

(1) Anni 1442.

EPISTOLA XXXIX.

Poggius pl. sal. dicit reverendissimo in Christo Patri Domino Cardinali Comensi.

Gratissimum est mihi, praestantissime pater, scripta mea laudari a te doctissimo atque optimo viro. Ea enim vera est laus putanda, quae ab iis proficiscitur, ut inquit noster Cicero, qui et ipsi cum laude vixerunt. Itaque, cum tu ipse sis eloquentissimus, et plurimarum rerum, quae ad sapientiae cognitionem spectant, doctrina excellens, laetor paulum in laudibus, quae in opusculum meum a te eloquentissimis tuis litteris conferuntur. Major est enim multo dicendi ubertas in tua epistola, quam in eo quod laudatur. Sed aut voluisti ostendere, non quid ipse mereo, sed quid tu dicendo posses consequi, aut certe tanta est tua in me benivolentia, ut quicquid scribam a te optimum aestimetur. Utcunque autem sit, ut Romanorum sententia est, etiam falsis commendationibus delectamur. Ego quae mihi ab ingenio subministrantur, conor efferre in communem utilitatem, gratiasque agerem illi, quisquis is, aut quocunque in me esset animo, qui meliora in medium afferret. Nam excitarer paulum ab inertia, et aut victus arma traderem, aut acrius pugnarem. Disceptando enim in utramque partem veritas elici consuevit. Quod autem non credis me putare, ut scribo, principes omnes esse infelices, sed tantummodo malos, id

vere sentis, et hoc a me pluribus verbis disputatur, si recte meministi, fuisse aliquos, quorum nonnulli a me proferuntur, principes bonos, sed eos perraros, et vix singulum singulis saeculis, eosque ipsos Dei quodam praecipuo dono extitisse, non opera principatus. Non disseritur a me de principibus, quos, si vis, concesserim esse omnes bonos, dicam etiam ut apertius mentiar, optimos: sed agitur de conditione principatus, quae talis est suapte natura, ut etiam bonos reddat malos usu ejus et consuetudine. Unum tamen paulum risi, quod in tuis litteris scriptum est; prudentissime ais enim, affici autem ipsos principes saepenumero infinitis prope molestiarum generibus, administrationis, et commissae, vel susceptae etiam, curae gratia. Id ego quidem fieri posse non negarim: sed haec tamen majori illis laudi et gloriae cedunt, quo prudentia sua et gratia, quod fieri posse credendum est, illa ipsa superare, et vincere datur. Ego non quid fieri possit pervestigatus sum; nam plura fieri possunt, quae nunquam sunt facta, sed quid hactenus fieri consuevit. Stultum est enim dicere principes bonos esse, quia boni esse possunt: credendum est, neque id monstrum esset, me regem fieri, aut pontificem posse, sed id tum erit, cum principes erunt boni. Ego aliquem novi, quem ad hanc diem nulla exceptione forsan appellarim principem bonum: sed nemo a me nominatus est, ne id cedat in contumeliam caeterorum; quilibet enim sibi blanditur, et suis moribus: neque aliquem ita scelestum reperies, quin aliquod vitiis suis

umbraculum afferat honestatis. Si tamen ipse cogitans recordari volueris, tum nostri, tum praeteriti temporis principes, invenies eos, qui vere boni appellari queant corvis albis extitisse rariores. Virtus est quae vindicet homines ab infelicitate: ea quocumque in homine fuerit, id agit, ut bonos amet, et virtute praeditos, quorum quanta copia versetur apud principes, non ignoras; hoc, quae illorum sit felicitas, magno nobis est argumento. Sed adulatio verum judicium impedit, et eos pro bonis haberi cogit, qui sunt apertissime mali. Crede mihi, pater optime, rara virtus est, neque facile possidetur. Ante eam Dii sudorem posuerunt, ut inquit Hesiodus; at hanc principes parum norunt, maluntque circa feras aut aves sudare, quam circa virtutum indagationem. Verum haec non mea, sed Nicolai sententia est, qui si viveret, me parum in ipsos dixisse pro eorum in doctos viros meritis quereretur. Quod autem velles me esse vobiscum, nam confidis me vestrae regionis amoenitatem nostris anteferre, ego me in his locis esse non moleste fero, dummodo haec tributorum collatio abesset. Amoenissima est ora nostra; sed ea census acerbitate exasperatur. Ita ferunt tempora, quae potius quam homines accusare licet. De caseo spei injectae tibi gratiae sunt agendae; cum venerit agentur ampliores. Sed pene praeterii, quod in primis fuerat scribendum. Scias mihi filium nuper esse ortum; itaque quartae prolis jam pater factus, vere paterfamilias appellari queo, tum propter liberos susceptos, tum maxime propter aeta-

tem. Si hic praesens fuisses, qui mihi pater es compater extitisses. Vale, et me ama. Florentiae (1).

EPISTOLA XL.

Poggius pl. sal. dicit Francisco de Padua ornatissimo ac doctissimo viro.

Quoniam quotidie afferebatur mihi a tuis notis te ad Curiam quamprimum rediturum, idque ego multis ex causis cupiebam, intermisi paulum meam consuetudinem ad te scribendi. Nunc vero et mutatione Curiae (id enim decrevit Pontifex conturbatus, et quod nunquam antea mihi in tali re accidit, omni negotio vacuus, mentem ad te reflectens beatissimum judico, qui tanta es animi firmitate, ut aequa mente rejicias, quae multi insano studio prosequuntur. Ego quidem, nisi temporum culpa, ne dicam Pontificum, quibus raro bonorum cura fuit, parum rei nostrae familiari hactenus consultum esset, quae tenuior est, quam merita postulent hominis haud ignobilis, tamdiu in Curia cum honore versati, non solum te sequerer, sed forsan longo intervallo anteirem, vindicans me in veram, et animi et corporis libertatem. Non enim me amplissimi patrimonii, aut multarum opum, aut magistratus alicujus ambitio tenet, in quorum sollicitudine quanta sit molestia non ignoro.

(1) Mense ultimo anni 1434.

non supervacuae rerum externarum curae, quae multorum mentes distrahunt, sed quietis cupido, et litterarum studia me trahunt, et quibus solis, et omne fugitur fastidium vitae, et a molestiis animus avocatur. At vero rei domesticae debilitate frangor, quae ea est, ut suis ipsa viribus nequeat sustineri, nisi plane, ut inquit ille, ex oratore arator fieri vellem. Tempora insuper, inimica virtuti, quantum noceant vides: nunquam antea deteriorem Curiae statum memini, cujus si aliquando casus quispiam adversus incidit, solabamur nostras aerumnas spe certa futuri. Nostrae reipublicae haud multo melior conditio; tenuitas enim aerarii, impotentiores, quorum ego sum in numero, admodum vexat, cum et ea, quae mihi debentur, erogantur in militum sumptus, et multa praeterea sint impendenda. Quid hac superflua absentem querela obtundis, inquies? levari consuevit, mi Francisce, paulum conquerendo, lamentandoque animi dolor, videturque aliquantisper leniri, cum expuimus penes amicos nostrum moerorem. Nullus est, mihi crede, major dolor, quam dolere non posse. Itaque scribendo effugio molestias animi, quae me solito magis premunt. Cupio persaepe praesentiam tuam, quae mihi multotiens magno usui fuit. Sed nunc esset maxime cum, quae multorum erant, ad unum omnia delata sint. Sed haec jocandi gratia. Ego quoniam plane algeo, me domi continebo, quoad aestas veniat. Malo hic frigere, quam alibi; tum urbem videbo, et quod

sapientes suadent, parebo temporibus. Samuelem nostrum tibi inter caetera commendo (1).

EPISTOLA XLI.

Poggius Enoch Esculano.

Dictum est mihi te dudum dixisse magnifico viro Comiti Puppii, nescio quae contra eum a me esse conscripta, ipsumque ex hoc admodum conturbatum. Cupio scire abs te, an id verum sit; nam non facile adducor, ut credam te adeo impudentem, ne dicam dementem fuisse, ut tam aperte sis mentitus in meam detractionem, praesertim cum nulla in re unquam a me vel parum laesus fueris, sed semper adjutus ac sublevatus. Neque autem tale ingenium est tuum, non talis doctrina, non talis dicendi facultas, ut tibi expediat contra me falsis maledictis insurgere, quem scis parem gratiam, et aliquando cumulatam solere referre. Nescio an tibi gloriam, aut benivolentiam quaeras per meam detractionem; ideo aut te purga ita ut mihi constet te procul esse a culpa, aut ego mihi prospiciam et honori meo, et te ita exagitabo, ut pudeat, si quid in te pudoris est, tam aperte esse mentitum. Florentiae die VIII. Aprilis (2).

(1) Ultimis diebus anni 1442.
(2) Anni 1443.

EPISTOLA XLII.

Poggius pl. sal. dicit Fratri Alberto Ordinis Minorum.

Scis esse Ciceronis sententiam, veritatem in amicitia maxime requiri, cujus id munus esse videtur, quod vere sentis amico proferre; et ut puto, veritas amicitiae fundamentum est. Hieronymus quoque vult amici officium esse vera ex animo loqui. Haec ego sapientissimorum virorum praecepta, et monitiones secutus, et tibi praesenti, et te absente tuis ea locutus sum, si quid adversus te dictum sensi, ut me tibi amicum propter ipsam benivolentiam, non propter aliquam utilitatem fuisse, et esse perspiceres. Nam quicquid aliquando aut tecum, aut cum aliis de te sum locutus, tui id gratia locutus sum. Nam de rebus, aut contentionibus vestris quid ad me attinet, qui foris sum? Honor tuus, et amor ordinis me movit, nulla affectio, aut utilitas privata. Numquid putas, cum te semper unice dilexerim, cum plurimi fecerim, non commoveri, et adversus te incitari, si quid secus quam cupio quisquam de te sentit, aut loquitur? Nonne amici officium putas te, vel etiam absentem, monere; si quid audiam, quo tuum nomen laedatur? Ego cum ejusmodi sermones ad me deferuntur, hesito, nec quid certi credam scio: sed te esse hominem novi, et eum, qui falli, et labi possit. Non enim

tanta praeditus es sapientia, aut sanctitate, quam tibi insidiae Sathanae non sint pertimescendae. Crede mihi Alberte, nullus est, qui rectius confutare, quam tu, detrahentes tuae virtuti possit. Veritatis enim est ea natura, ut licet aliquando flectatur, tamen cum radices altius fixerit, semper emergat. Ego, si quos aberrantes punis, summe laudo; sed justitiam cum misericordia, in te esse volo, ut potius illud pietati, quam punitioni tribui possit: hunc vero, de quo loqueris, quis sit nescio. Neque enim quicquam de istoc homine audivi. Unum autem a tua prudentia ostendi, atque adeo ostentari hominibus velim, ut nullam cupiditatem imperandi aliis praeteferas; quod si effeceris, omnem effugies materiam calumniandi. Unum te scire volo, nullum habebis acriorem defensorem tui honoris, ac famae, quam Poggium, qui jamdudum propter tuam virtutem te dilexit non causa quaestus. Vale, et me ama. Senis die X. Maii (1).

EPISTOLA LXIII.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Burgensi.

In ipso motu Curiae, praestantissime pater, recepi suavissimas litteras tuas, quae summa cum prudentia atque humanitate scriptae maxima voluptate me affecerunt: plura scribis in meam commendationem, multa de meo libello graviter.

(1) Anni 1443.

et magna cum dicendi copia disputas: ea sentis, et loqueris, quae summam doctrinam et sapientiam in te esse ostendunt. Itaque scias velim multum ex tuis litteris ad meam in te benivolentiam accessisse, cum talem litterae tuae te ostendant, qualem antea sermone hominum et famà perceperam. Ego quod ad me attinet, cupio ut is sim, quem me esse putas: sed certe et si alia desint, hoc unum certe nobis adest. Amo, et colo doctos et bonos viros, et cum multi doctrinam faciam, tribuo plus tamen virtuti, cujus minor copia inter homines versatur, quam nostra ferat opinio. Eo fit, ut si quando cum rerum scientia honesti quoque ratio conjungatur, mira quaedam accessio animi fiat, ut in quo haec sunt, quae tamen rara sunt, is mihi dignus amore omnium et commendatione videatur. Sed plures videri, quam esse malunt, non fructum virtutis, sed ostentationis adulationem quaerentes. Multa, et gravia, et sapienter scripta in tuis litteris continentur, quibus si singulis velim respondere, longus mihi libellus esset conficiendus. At nunc satis est significasse tibi me tuas litteras recepisse, ne me existimes in contrahenda amicitia solertem, in conservanda ignavum et inertem fuisse. Quod me hortaris, ut de gloria principantium aliquid scribam, quo magis illi ad bene imperandum animentur, agam id forsitan, si ocium et requies animo erit. Scis enim ista quietem requirere, et vacationem curarum, sed eorum, qui rerum potiuntur, aures ita mihi surdae ad hujusmodi voces

videntur, ut mea verba parum sint illis profutura. Trahit enim sua quemque voluptas et affectio, neque cum multis incommodis premantur, et in primis stultitia, quod malorum omnium est extremum, sentiunt ulla ex parte pondus suorum malorum. Et quamvis persaepe proferant verba, et sententias sapientum, tamen longe abest eorum vita a praeceptis sapientiae. Sed de se ipsi viderint. Mihi, quemadmodum hoc vitae reliquum cum laude et virtute degam, curae erit. Libellum meum ad utilitatem legentium scripsi, ut homines abjecta ambiendi cura virtutem appetant, et sequantur, in qua sola bene vivendi ratio consistit. Quod si secus senserint, sentiant ut libet, dummodo sciant, quod luce est lucidius, honestum esse rebus caeteris praeferendum. Vale, pater suavissime, et me, ut coepisti, ama. Senis die X. Maii (1).

EPISTOLA XLIV.

Poggius pl. sal. dicit Comiti Puppii.

Amicus quidam meus, magnifice domine, retulit nuper mihi nescio quem maledicum atque improbum detractorem dixisse tibi, me scripsisse nonnulla, quae vergerent in dedecus nominis tui, deque hac re certo in loco te esse conquestum. Displicuit mihi sane, tum dicta de me esse, quae

(1) Anni 1443.

falsa sum, tum prudentiam tuam fidem verbis nequissimi transfugae praestitisse. Sed vitio naturae accidit, ut facillime, quae in nostram contumeliam prolata dicuntur, credamus. Vellem scire, quis hic nefarius delator extiterit: nam ita eum ulciscerer, ut hanc suam nequitiam non ferret impunitam. Sed quisquis is sit, is mentitus est in caput suum, vir nequissimus omnium qui vivant, et necesse est, ut aut perfidus proditor fuerit, aut impius delator. Scio te tali prudentia esse, et animi gravitate, ut mihi potius, non omnino insulso, credas vera, quam levissimo susurroni falsa dicenti. Ego te semper pro tua virtute colui, ac dilexi, et rem facerem tibi gratam, excepta patriae causa, neque unquam aut dixi, aut scripsi aliquid, quod spectaret, non solum ad ignominiam, sed ad parvam offensionem tuam. Sed ille perditus ac nefarius furunculus sibi gratiam apud te et alios ex mea detractione voluit quaerere, quod quantum sibi succedet, haud multo post intelliget, nisi me deficiat calamus. Rogo te igitur, ac deprecor, ut pro tua humanitate nolis de me credere, quae falsa, nescio cujus hominis, vel belluae potius immanitas confixit. Si scirem unde, aut a quo haec prodierint, me tibi satis abunde purgarem, efficeremque ut si quid adversus me concepisti e vestigio deponeres. Sed hoc quid sit, cum nihil sit, quid me excusem nescio. Vale etc. (1).

(1) Anno eodem 1443.

EPISTOLA XLV.

Poggius pl. sal. dicit Petro Thomasio V. C.

Nuper cum accessissem Florentiam, atque ibi una nocte tantum fuissem, casu incidi in doctissimum virum, mihique amicissimum Antonium de Rosellis, quem cum salutassem, nihil opportunius inquit fieri potuit, quam ut te convenirem, deinde retulit mihi quaedam ex parte tua, quae mihi fuerunt gratissima, cum summam erga me benivolentiam significarent. Addidit insuper, et id mihi paulo molestum fuit, te aegre ferre me non respondisse quibusdam litteris, quas ad me olim scripseras, et te vereri ne parvifaciens prudentiam tuam minime rescripsissem, cum veluti in contemptum tui id a me fieri videretur; et simul copiam tuae epistolae se ad me Senis misisse asseveravit. Mi Petre, nolim me existimes ita rudem, ita ignarum rerum, ita penitus indoctum, ut nesciam quanti sit doctissimorum virorum amicitia aestimanda, quantumque impudentis esse videatur contemnere eos, qui ultro se nobis offerunt ad benivolentiam comparandam. Legi siquidem apud Ciceronem nostrum, cujus ego doctrinam conor imitari, nihil sibi minus hominis videri quam non respondere in amore iis a quibus provoceris. Legi etiam in epistola Platonis, summum virtutis signum esse, abundare amicis, improbitatis carere. Itaque etiam si improbus essem, tamen

ne viderer a bonorum abhorrere consortio, amplecterer amicitiam multorum, et nedum non recusarem oblatam, sed ipse ultro me in plurimorum benivolentiam insinuarem. Nihil mihi certe gratius esse potest, quam eorum benivolentia, qui doctrina, et probitate excellunt. Id enim est optimum amicitiae vinculum, ut nosti, morum, studiorumque praesertim optimorum, similitudo. His initiis contracta, firma ac stabilis habetur, neque commovetur ad auram, prout ea, quam leviores causae introducunt. Sed haec hactenus. Venio nunc ad epistolam, cujus exemplar Antonius ad me misit. Ego mi Petre habeo, agoque gratias humanitati tuae, quod me ignotum hominem adeo diligis, et carum habes, cum id non a meo merito proficiscatur, sed a singulari tua virtute: existimas enim id, quod bonorum est virorum, caeteros similes tui esse. Ego quid olim de te scripserim, non sane recolo, nam et obliviosior aetate factus sum. Est enim, et mentis, et corporis, ut Aristoteles ait, senectus, et volumen illud epistolarum, de quo scribis, a me abest, cum saepius a domo peregrinetur. Epistola vero, quam petis, nescio an apud me sit; nam saepissime accidit, ut litterarum, quas ipse scribo, nullum exemplar servetur, tum negligentia, tum saepius festinatione. Sed si quid damni praeterita incuria attulit, resarcietur id futurorum cura et diligentia. Video te virum bonum esse, cum diligas ultro eos, quos non abhorrere existimas ab officio virtutis. Video in te esse eloquentiam non mediocrem, et singu-

larem doctrinam. Accedit id, quod plurimi facio, amor in te meus, quodque maximi aestimandum est, tua tum suavis, tum humanitatis plena ad benivolentiam atque amicitiam provocatio. Itaque de caetero, et respondebo tuis litteris, et si non scripseris lacessam te ultro, atque excitabo: et postquam una loquendi coram suavitate privamur, colloquemur litteris, quod jucundissimum esse inter amicos consuevit. Id ego certe officio litterarum et mutua charitate assequi conabor, ut non frustra meam amicitiam appetisse videaris. Vale et me ama. Senis die XII. Septembris (1). Superiora sunt librarii manu, et ejus quidem Gallici, ea scripsi manu festina in hoc tumultu discessus Pontificis. Et si enim pauca nobis agenda sunt, tamen hic subitus motus animum suspensum tenet, ut neque scribendi, neque legendi voluntas adsit. Itaque si haec epistola tibi videbitur impolitior, tribuito tempori, quod admodum mentem conturbat. Sed malui incondite, atque insulse, quam nihil scribere; dilatio enim forsan oblivionem attulisset. Iterum vale.

(1) Anni 1443.

EPISTOLA XLVI.

Poggius pl. sal. dicit reverendo Patri meo Petro Episcopo Bryensi.

Admodum molestum est mihi, quod cum jam ter ad te scripserim respondens epistolis tuis, tu ita scribis, ut nullas videaris meas litteras habuisse. Itaque non deprecor culpam, quae nulla in me fuit, sed tabellariorum perfidiam accuso. Capellanus tuus, qui nuper ad nos venit, mihi reddidit tuas suavissimas litteras, et summa scriptas cum eloquentia. Ago gratias tuae humanitati, quod me celebrem apud Gallos reddidisti, quodque opuscula mea voluisti nota esse regi, quem dare operam litteris, aut libris gloriosum est, et summa commendatione dignum in tanto principe. Gaudeo autem, et tibi gratulor te in ejus familiaritatem intimam devenisse; hoc mihi persuadet illi litteras et virtutem placere, postquam doctos amplectitur et praestantes viros. Magna est, mi Petre, penuria eorum, qui virtutem colant; laudatur ab omnibus, sed pauci eam sequuntur. Itaque magnum aestimandum est esse principem, qui saltem non abhorreat a doctrina, et doctissimorum hominum familiaritate. Composui duos libros de varietate fortunae, sed nondum edidi, expectabo enim adventum tuum: in illis comprehendi nostri temporis historiam, eorum scilicet, quos fortuna, ex alto dejecit, et in hos regni Franciae varietatem

fortunae, quae illud diutius quassavit, conjeci. Tuo consilio utar, cui dicandus videatur, isti ne quem laudas, an alteri. De publicis rebus tuus Capellanus referet tibi: Curia exinanita est; nescio an accessus ad urbem plus roboris, an debilitatis sit allaturus: omnia incerta sunt, ut ait Tullius, cum a viro discessum est. Ego haec scripsi manu festina paulo post discessum Pontificis. Tu vaca quantum potes, quantum vero poteris ignoro, ad resarciendam Pontificis auctoritatem: quamvis dubito, ne haec Aragonia in agoniam nos conjiciat multorum. Sed tamen tentanda sunt omnia, et id agendum, ut vacemus a culpa: quod solum sapiens praestare debet, reliqua diis permittenda. Vale, et me ama. Egi tibi gratias, et iterum ago pro diligentia, quam adhibuisti cum Cardinali Remensi pro re familiaris mei, sed rogo, ut iterum instes, neque desistas solicitare: importunitate opus est cum istis, qui non sentiunt, nisi stimulo pungantur; habent enim corium bubalinum. Senis die XIV. Septembris (1).

EPISTOLA XLVII.

Poggius pl. sal. dicit Carolo suo Perusino.

Posteaquam ad te priores Litteras dedi, in quibus scripsi me tuam epistolam non recepisse, inter loquendum post coenam cum his mensariis,

(1) Anni 1443.

ad quos diverti, unus ait quasdam litteras e Perusia ad mensam delatas, quae ad me diriguntur, easque incuria quadam non redditas mihi. E vestigio suspicatus sum quod erat, tuas litteras esse, et ad me eas statim afferri jussi. Legi epistolam, quamvis longiuscula esset, uno spiritu, summa cum voluptate, in qua prima pars, quae ad me spectat, summopere me delectavit, licet nihil attulerint novi. Nam priusquam legerim epistolam, qua mihi desiderium tuum significabas, expertus sum humanitatem tuam, qui ea charitate, benivolentia, honore, observantia me excepisti, ut longe plura egeris in ornando hospite, quam litterae pollicebantur, cardioremque mihi te esse perspexi, quam verbis significabatur. Itaque re multo plus, quam ferebatur epistola, ostendisti in pollicendo, alliciendoque modestiam, in excipiendo, ornandoque amico liberalitatem ac benivolentiam singularem. Non soleo esse profusus, mi Carole, in laudibus amicorum, ne adulationem virtutibus videar admiscere: sed tamen charitati tuae saltem verborum praemium, postquam reliqua desunt, tribuendum est. Usus es in me, nullo meo beneficio provocatus, ea amoris significatione, ut vix ei posse videar respondere. Sed habeo gratiam, etsi nequeam referre, sed hoc temporis erit et fortunae, illud animi benivolentiam tibi mutuam respondentis. Equidem cum ad mentem revoco quo studio, qua affectione me, cum primum ex equo descenderim, convenisti, domumque etiam reluctantem deduxisti: cum versatur

ante oculos sumptuosa coena, in qua viri doctissimi adfuerunt: dum considero te mihi abeunti octo millibus passuum comitem praebuisse, vix est ut sperem, me posse tibi unquam parem gratiam referre. Verum animus haud immemor susceptae liberalitatis, saltem tuis in me meritis, grata memoria respondebit. Sed haec hactenus. Secundus tuarum litterarum locus, qui ordinem impendendi honoris, si istac iter fecisset, Pontifici recensendi, a te diligenter summo cum ornatu verborum explicatus est. In eo et ingenium tuum laudo, qui omnia diligentissime magna cum eloquentia retulisti, et magnificentiam civitatis, quae in ornando summo Pontifice, summam prudentiam curamque praestitit. Sed ut tecum paulum more meo incipiam jocari, miror, cum multa recensueris ad exornandum Pontificis ingressum parata exquisitissime, mulierum a te pompam atque ornatum, quod pulcherrimum spectaculum praebet aspicientibus, praetermissum. Nam id praecipuum solet esse civitatum omnium ornamentum, muliebris mundus et cultus, nullumque solet esse spectaculi genus, quod magis homines appetant, magis alliciat ad se videndum, ac diligendum, ut si caetera omnia similibus festis diebus adsint, hic autem ornatus desit, nulla solida jucunditas aspicientibus adfuisse videatur. Itaque cum sitis ad omnia viri prudentissimi, rei prae caeteris pulcherrimae, et quam Curia nostra minime abhorreat, curam omisistis. Sed forsan senioribus id muneris injunctum fuit, qui parum ad eam prae-

arandam supellectilem cogitarunt, cujus usu fer-
e privati sunt. Si enim junioribus, aut Pontano
ostro ea provincia demandata esset, procul dubio
m, quae dierum solemnium condimentum esse
onsuevit, et praecipuum exoptatumque ornamen-
m, nequaquam neglexissent. Neque est, quod
ostros satrapas, et qui eos sequuntur, inhumanos
it ferreos existimetis, aut qui Dei creaturas
ontemnant; delectantur iis, quae aspectui sunt
cunda, sed appetitui non obtemperant: movetur
nsus, non animus, et ea sunt modestia, ut quae
a sunt parvi faciant, nedum cupiant aliena.
ed haec joci gratia. In Terra nova die X Martii
44.

POGGII EPISTOLÆ.

LIBER NONUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Thomasio Bononiensi.

Diutius quam aequum fuit, mi Thomasi, distuli respondere suavissimis litteris tuis, quas summa humanitate scriptas, ac benivolentiae plenas a te accepi. Nulla id accidit negligentia, aut contemptu, sed nescio quo torpore ac vitae fastidio, quo temporum culpa semisomnolentus visus sum esse mihi, ut neque legere, neque scribere, postquam ad Curiam sum reversus, aeger animus posset. Scribit Seneca, ad studia litterarum esse confugiendum, ubi taedio vitae, aut lucis fastidio fortunae opera detineamur. Id quidem optimum esset remedium, ubi facile possemus curas ne-

cessario quodam modo incumbentes depellere: sed difficile est esse sapientem. Ego qui parum commertii habeo cum Minerva, non possum non turbari. Nam ea magis quàm homines culpare licet, temporum injuria et iniquitate. Haec mentem ab studiis avertunt paulùm, jocari vero omnino prohibent. Itaque facetiae illae nostrae cessarunt paulisper, non tanquam exules, sed tanquam peregrinae, quas tamen spero esse una cum vere, si quando venerit, redituras. Ego, mi Thomasi, ago gratias tuae humanitati, qui dignatus es ad me scribere, et excitare litteris veluti dormientem. Novi olim te adolescentulum summae indolis, exquisitique ingenii; sed nequaquam existimabam te, cum in alto gradu rerum tua te virtus collocasset, vacare litteris et doctrinae, aut aliquid temporis humanitatis studiis impertiri. Solent qui ad altiora provehuntur, non solum abjicere legendi curam, sed et doctos spernere, plurisque fortunam aestimare, quam virtutes; sed postmodum ab ea quandoque externis ornamentis nudati, ubi prior facies rediit, tunc se insulsos cognoscunt, contemptique habentur apud omnes veluti ridiculi atque insani. At ego te summa prudentia praeditum conspicio secus egisse, et una cum fortunae indulgentia servasse priorem discendi animum, et in ea studia maxime incumbentem, quae utramque fortunam docent ferre moderate. Itaque gratulor tibi, qui fortunam tuam studiorum praesidio ornare voluisti, et id agere, ut vere virtutis iter noscere videaris. Quod delecteris tum meis

epistolis, tum Confabulationibus (1), gratum est mihi: ego eas voluptatis legentium causa litteris mandavi, sed nihil addidi illis, posteaquam Pontifex e Senis abiit; non enim fuerunt apud me, sed peregrinatae sunt ad varia loca, ut adjiciendi aliquid facultas non fuerit. Multa tamen postmodum audivi, multa emerserunt, quae in illas conjecissem, nisi illis caruissem: redibunt tamen, et forsan augebuntur rebus aliquibus non insulsis. Utrum vero Pasquini Senensis extrema sit inter confabulationes, non recte memini, cum revertetur libellus, qui nunc est Florentiae, inspiciam si quid est praeterea, et id ad te mittam. Vale: et me, quoniam id mutuum fiet, ama. Superiora sunt librarii manu; nam et anni suadent scribendi laborem subterfugere, et accurate litteras componere est mihi difficillimum, tum oculorum, tum manus culpa. Nam ut optime noster inquit poeta

Omnia fert aetas, animum quoque.

Romae die 24. Julii 1444.

(1) Liber Confabulationum, seu Facetiarum, inter meliora Poggii scripta non exstat, tum ipsa natura rerum quae in eo continentur, tum nimia loquendi libertate, quae multos etiam inimicos auctori suscitavit, ut diversae testantur epistolae, praesertim XIV hujus libri ad Petrum Thomasium Venetum; tamen propter nugarum fabellarumque ingeniosam inventionem, et quamdam sermonis elegantiam, non abjiciendus videtur.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Petro Gambacurtae.

Cum essem in Terra nova, loco originis meae, recepi a te litteras eleganter scriptas, et summa cum humanitate. Sed quia pauculos dies ibi fui pluribus rebus occupatus, respondendi tempus nullum fuit. Nunc reversus ad Curiam plus otii nactus, rescribere volui, ne me superbum, aut insolentem putares, et simul ut te hortarer ad ea studia, hoc est humanitatis, in quibus video te admodum profecisse. Laudo ingenium tuum, mi Petre, laudo studia eloquentiae tuae, quibus vacas, laudo prudentiam, quod id doctrinae genus elegisti, quod te possit reddere meliorem. Caetera quidem quaestus et lucri gratia appeti videntur, ut nil aliud in eis, quam ipsa utilitas, requiratur. At vero eloquentiae et humanitatis facultates propter se ipsas expetuntur. Etenim nos ad virtutem instituunt, docentque illius causa, et ut meliores fiamus, se esse appetendas. Verum si ea doctrina suos possessores illustrat, maxime tamen illos claros efficit, qui eo loco nati sunt, ut latere non possint. Es ex familia nobili ac praeclara; quae quondam primaria habita est Pisis, et multos viros excellentes tulit: ex iis ortus parentibus, qui tibi lumen praeferant ad vivendum. Sed plures contenti majorum nobilitate et fama, litteras et doctrinam contemnunt, venandique, aut aucupandi

exercitio occupati satis se agere existimant, si more insanorum feras aut aves sectentur, quos ego ignobiles judico, et magis somno et otio, quam vigiliae aut negotiis accomodatos, qui vivant ne, an intereant, parum inter homines refert. Tu vero praestanti animo et ingenio elato, addens majorum nobilitati doctrinam et virtutem, in quibus vera nobilitas consistit, non solum aequare superiores tuos, sed superare voluisti iis litteris et studiis deditus, quae tibi possint splendorem afferre, et notum facere inter ignotos. Hortor itaque te, quamvis hortatore non egeas, cum tua sponte sis viam virtutis ingressus, ut omni cura et diligentia prosequaris, quod laudabiliter coepisti, virtutemque omnium disciplinarum condimentum amplectaris et colas, sine qua neque doctrina ulla, neque facultas est laudanda. Vale, et mei memor (1).

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit Joanni Lucensi.

Redditae mihi sunt tuae Litterae, in quibus me laudas orationis, quam edidi in commendationem viri clarissimi Leonardi Arretini. Ego an laudanda sit nescio: mea mihi non admodum placent, cum priscorum eloquentiam considero; cum vero nostros intueor, est ut videar non

(1) Eodem anno hanc scriptam fuisse arbitramur epistolam.

omnino insulse scribere, licet a multis superer facultate dicendi. Quocumque tamen animo mea sentimentur, praestare volui debitum nostrae officium amicitiae. Ita et Nicolaum quoque meis litteris laudandum sumpsi: ita et Laurentium de Medicis, quibus cum mihi summa vitae conjunctio et amicitia fuit: eodem modo et Cardinalem sanctae Crucis, cujus virtus cum admodum celebris fuerit, cum me ut filium dilexerit, non fuit a me ejus virtutum commemoratio omittenda. Cum enim in vita functos nil muneris conferre possim, hac saltem re visa est celebranda paulum eorum memoria, qui mihi carissimi extitissent, quos etsi eloquentia ornare difficile fuit, mihi praesertim, qui tardior sum ingenio, tamen pietatem praestitisse mihi videor, ut quos in vita colui, ac dilexi, mortuorum quoque habuerim rationem. Sed de oratione hactenus. Epistola tua mihi admodum placuit, est enim scripta eloquentissime. Epitaphium probo, sed ut laude dignior, soluta videatur oratio, quam metrum. Quamquam enim in utroque excellas, oratio tamen ornatior videtur atque eloquentior. Habes judicium meum: ego tibi gratias ago, quod ad me scripseris; video enim te virum doctrina, scribendique eloquentia praestantem, et merito in eloquentium numero adscribendum. Itaque complector te animo, et benivolentiam polliceor. Quod meorum scriptorum dicis te conquisitorem solertissimum, est mihi gratum mea tibi placere, sed vide, ne operam perdas: nam quantulum mea sunt ae-

stimanda? ad alios confugias oportet, qui et doctrina praestant et eloquentia; non mea vulgaria sunt, et a rudi homine profecta. Ego tuus sum. Vale, et me ama (1).

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao Lucensi.

Gratam rem fecisti mihi qui epistolam Joannis Cirignani ad me miseris ornate et luculenter scriptam. Eloquens vir est, et scribendo elegans. Rescripsi ei licet paucis, quoniam non ea res est, ut multis verbis, aut longa egeat responsione. Eas litteras ad te mitto, ut tu illi, ut scribis, reddendas cures. Vale, et quoniam conspicio ex tuis litteris deditum te studiis eloquentiae, scias me tuum esse, et insigni equiti Joannotio me commenda. Romae etc. (2).

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Ricardo.

Mi Ricarde, binas jam recepi a te litteras, quarum utraque duas bursas pollicetur, et tamen nulla adhuc ad me perlata fuit: hoc scribo non

(1) Indubium est hanc scriptam fuisse epistolam anno 1444, nam initio anni hujus obiit Leonardus Aretinus Reipublicae Florentinae Secretarius, de cujus funere loquitur.

(2) Anni 1444.

cupiditate bursarum, sed ut videas tuas litteras inanes esse. Ideo aut bursas mitte, aut te verum non scripsisse fatearis. Spes uxoris erecta erat ad primas litteras, bursasque in diem expectabat: secundae litterae iterum verborum plenae, rerum vacuae sunt, et spem demunt, cum videatur ridiculum, non potuisse illas jam sex mensibus, cum tam multi quotidie veniant, ad nos mittere. Sed haec hactenus. Nunc graviora tractanda sunt. Scis, mi Ricarde, me pro nostra amicitia jam saepius te per litteras hortatum esse ad melioris vitae cultum, et ut deposita paulisper earum rerum cura, quae fortunae munera appellantur, ad ea vacares, quae nostra sunt, hoc est ad virtutem respiceres, et ea bona, quae nos etiam post mortem comitantur. Id ut etiam communi nostro domino diceres, quod aliquando suasi, si abs te factum est nescio. Ego certe et boni viri, et amici hominis officio functus sum. Nunc vero cum sentiam aetatem ingravescere, et hebetari jam corporis vires, iterum pro mea erga te benivolentia scribere volui, quae et animae prodesse, et corpori non deesse videantur. Est mos illis, qui longius iter sunt ingressuri, ut pecunias sumant, quantum longitudo viae requirat, vel paulo amplius etiam propter incertos casus. Si cum quasi ad finem itineris perveniunt, minus multo de viatico, quam antea, solent esse soliciti, cum videant se jam parum quid viae confecturos. Stultissimum quidem esset magnam solicitudinem curamque impendere ut plurimum habeas, ubi minimum est

necessarium. Hoc idem nobis debet accidere, qui jam prope decursa aetate sumus, ut quo minus viae conficiendum est, eo minor sit viatici cura. At vero et tibi et communi domino contrarium videtur accidere, si vera sunt quae feruntur fama, quo propius finem spectatis, eo plus vacatis rebus non profuturis, sed potius nocituris. Quid est hoc mi Ricarde; nam tecum liberius possum loqui, numquid tu ex Indis es, qui secum aurum, argentum, vasa, vestes, sepeliri jubent, quo illis apud inferos uti possint? num te has pecunias ferre putas? relinques omnia, mihi crede, et nudus absque ullo advocato causam pro te dices apud supremum judicem. Neque te auri copia defendet, immo accusabit, qui non illud in usus debitos erogasti. Cresus Lydorum rex olim fuit opulentissimus, is cum mortuus ad Carontem nautam descendisset, peteretque ut transveheretur, cum non detulisset secum obulum, qui pro transitu, solvi consueverat, in ripa fluminis solus ob inopiam obuli remansit. Marcus Antonius, qui una cum Octaviano duodecim annis regnavit, antequam se interficeret, id solum secum ferre dixit ex tanto imperio, quod amicis dederat. Id erat liberalitatis et benivolentiae laus, quae etiam mortui famam prosequeretur. Nolo ecclesiastica referre, quae tu melius quam ego nosti: haec duo ob eam causam retuli, ut cognoscas nullam laudem et gloriam in cumulando, et congregando, sed in dando, et largiendo sitam esse. Quod si cui aetati id convenit, certe maxime senescenti: et si enim quae-

libet aetas incerta est, tamen senex est propinquior fini, quem jam prospiciens, non praesentem, sed futuram vitam debet prospicere, atque id agere, ut sponte non coacte praesentia bona distribuere videatur. Quae est enim merces id dare socio itineris, quod ipse gravatus ferre nequeas, quod si ille non caperet, esset in via relinquendum? Es ne vero ita stultus, ut aliquem amiciorem animae tuae, quam tu ipse fueris, existimes futurum? aut quod non libens vivus feceris, id alios libenter facturos putes? Vertent se profecto ad praedam ii, quibus confidis, et postquam tu crudelis in te fueris, nulla dignum te misericordia judicabunt. Quid enim crudelius dici potest, quam ita abire e vita, ut nunquam de salute animae cogiteris? Nullum tibi ad futuram vitam subsidium, nullum viaticum praepareris? cum tot supersint, quae vix videntur in religioso viro fas esse optare? Verte igitur mentem, si sapis, ad meliores curas, et extremum diem ante oculos propone, et illum expavesce, tremendum enim est, tuarum rerum dispensator existe, velisque potius ut dicatur, te pecunias, quam pecunias te reliquisse. Nemo melius ex hac egreditur vita, quam qui expeditus egreditur ac libens. Multi ita exeunt, tanquam ad tormenta trahantur; nihil enim praemiserunt, in quo spem ullam habeant futuri auxilii. Praemittas ergo tanquam iturus ad convivium, ministros qui tibi mensam in vita futura parent; qui sentes de via auferant; qui lumen ministrent; qui tibi praesidio sint adversus raptores atque omicidas; solus

enim proficisceris, nudus, inops, tremens, et tunc cum tempus non erit, misericordiam implorabis. Declina ergo paulum ab inanibus curis, et diverte in habitaculum mentis, et ei consule paulum, quae jam diu nimium absque ullo consultore fuit. Adhuc enim tempus est, si eo scieris uti, est locus resipiscendi, ni negligens fueris. Sera enim poenitentia est post vitam. Tu ne eam in id tempus protrahas oro, sed dum sanus es, dum suppetunt vires, dum vita dulcis, dum mens viget, ita utaris praesentibus, ut magis cogites de futuris. Nunc virtuti vacandum est, nunc abjicienda vita, inanes cogitationes repellendae, nunc maxime danda opera, ut praesens vita non damno, sed praesidio sit nobis post obitum futura. Etenim si adolescentes erravimus, aetati tribui potest; si viri ambitioni; senectus vero, in qua corporis vires decrescunt, hebetantur sensus, deficit appetitus, et multa vitiorum irritamenta desunt, si fuerit dissolutior, aut si non componit se ad meliorem vitam, aut futuram spernit, quam reatorum suorum excusationem potuerit afferre? Cogita haec, mi Ricarde, quae ad te munusculi loco scripsi: si consilio meo obtemperabis, et quieti corporis consules, et animae saluti. Has litteras, si videtur, legendas trade domino Cardinali, quem cuperem videre, et secum loqui, priusquam alter nostrum migraret de vita; diligo enim ipsum ex corde, sed et aetas, et familiae cura impediunt; Vale, et me ama, et domino commenda plurimum: Et di', che serri pur bene la borsa, che altri l'aprirà. Roma die XXIV. Julii 1445.

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Serenissimo Aragonum Regi (1).

Cum multa nuper egregia de tuis gestis, optime princeps, fama ipsa, et sermone hominum audissem, gratulabar aetati nostrae, gaudebamque eluxisse hoc tempore nobis aliquem, in quo superiorum principum, qui jure boni sunt habiti, virtus et sapientia resplenderent. Nam cum eis, quos his nostris saeculis vel audissem, vel cognovissem, tum multa ad bene imperandum, tum maxime doctrina defuissent, deplorabam persaepe rerum publicarum calamitatem, quibus tam raro boni principes contigissent. Hanc inopiam et aliquotiens in meis opusculis sum conquestus, et in eo maxime libello, qui nuper est a me editus de prin-

(1) Epistolam hanc multas laudes continentem, cujus occasionem lector inscius frustra forsan perquireret, scripsit Poggius Regi Aragonum causa sibi animum suum conciliandi, nam studiosis literarum multum Rex ille faciebat. Absolverat hoc tempore Poggius ipse traductionem Cyropediae Xenophontis, quam de Graeco in Latinum sermonem transtulerat, excogitans illud opus Regi dedicandum; quod paulo post fecit. Sed ob diversas literatorum virorum, qui invidi in aula principis versabantur, implicationes, quomodo Poggius speraverat, solitae suae comitatis Rex signa non dedit, ut ab subsequentibus hujus libri epistolis discimus, ab eis praesertim, quae, vigesima quarta et trigesima sunt, ad Bartholomaeum Facium et Petrum Thomasium Venetias missae. Postmodum vero, rebus judicatis, merito Rex justitiam fecit, et munificentius quam speraverat auctorem remuneravit; ut ipse testatur Poggius in epistola decima decimi libri. Variae doctorum virorum illius temporis sententiae extiterunt de Xenophontis versione; sed plerique, quos inter Guarinus Veronensis et Carolus Marsupinus, homines ingenio, doctrina, dicendi scribendique facultate excellentes, laudes plurimas huic Poggii operi impertiti sunt, plurimamque auctori famam laturum judicarunt.

cipum infelicitate. Neminem enim eorum conspiciebam, qui vel daret operam sapientiae, vel amaret sapientiae studiosos. Itaque dolebam doctorum virorum vicem, quibus nulla virtutis suae praemia constituta essent. Neque ullus campus daretur in quo suum possent ingenium in aliorum laudibus exercere. De te autem plura ferebantur, quae mihi vestigia quaedam ejus, quem optabam, principis viderentur: sed ea paulo erant suboscura, tum bellorum strepitu obvoluta, tum propter hominum in diversa, pro affectu, tua gesta interpretantium relationem. Nunc vero cum nostri a te oratores viri ornatissimi civitatis revertissent, ita multis verbis, ita exemplis pluribus tuam prudentiam in regendo, virtutemque in administrando regno extulerunt, ut quae audieram antea, parvulae quaedam res prae his, quae recensebant, et pusillae esse viderentur. Nihil enim praestantius, nihil magnificentius, nihil gloriosius excogitari potest, quam quae ab illis sunt de tuis laudibus explicata. Vere enim te regem, et eo nomine dignum affirmant, cum id tibi sit propositum, ut non propriae, sed communi vaces reipublicae utilitati, cum nihil tibi praeter laudem et gloriam, quae virtutis praemia esse consueverunt, tibi quaerendum ducas. Nam cum eo reges distent a tyrannis, quo alteri ad commune, alteri ad proprium commodum suas dirigant cogitationes, tua prudentia reipublicae commodis et quieti solummodo consulit: id sapienter judicas, nequaquam a communi bono tuum posse ullo modo esse

sejunctum. Est haec excellens res atque ardua, ita praeesse aliis, ut tuis laboribus, vigiliis, curis, caeteri ocium et requiem consequantur; ita omnium utilitati et commodis consulere, ut abjicias proprii boni cogitationem. Sed nihil difficile ei, qui sibi persuasit, nihil nobis in vita praeter honestatem et laudem esse expetendum. Quam viam qui doctrina, aut studiis litterarum, aut naturae bonitate ingrediuntur, immortalem adipiscuntur gloriam et pene divinam. Hanc te amplexantem minime mirandum est cum virtutes plurimae, quarum praeceptis obtemperas, administrae comitesque existant actionibus tuis. Primum quidem exquisitam quamdam esse justitiam aequitati conjunctam affirmant, quae veluti reliquarum est virtutum, et rerum omnium publicarum fundamentum: cujus cum exempla permulta jam edideris summa cum tua laude et gloria, sapienter quidem facis eam colere virtutem, sine qua nulla imperia, nulla regna, nullae civitates, nullae respublicae, nulli hominum coetus, nullae neque publicae, neque privatae res possunt consistere. Tantam vero ejus virtutis vim esse sapientes volunt, ut ea virtutum mater reliquarum esse videatur. Certe rerum publicarum tanquam animam esse affirmant, huic admixtam clementiam dicunt atque humanitatem, gratissimam rem iis, qui sub alterius ditione vivunt. Dulce est enim patere perfugium calamitosis, et errorum nostrorum, homines enim sumus, spem aliquam impunitatis esse propositam delinquentibus. Nam ita in multis offendimus omnes, ut nisi

adsit clementia ac misericordia veniam aliquando erroribus praebens, desperatio quaedam vitae sequeretur, summo et inexpiabili in dominantes odio ac malivolentia. Gaudet enim quilibet veniae locum esse, et eum regno praefectum, qui poenam referat non ad maleficii vindictam, sed ad subditorum salutem. Plato quidem scribit eam legum mentem esse debere, ut ex animadversione cives meliores fiant. In quo clementiae vis est permaxima, si tamen delectus hominum habeatur. Sunt enim quidam, in quibus clementiam servare summa esset crudelitas; non est clementia parcere facinorosis, aut scelestis, sed punire, et communi prospicere utilitati. Illud quoque gratum est admodum populis, quod tuae aures adhibentur omnium vocibus, quodque te facilem praebes etiam minimis: quamvis non sunt habenda minima, sine quibus magna esse non possunt, sed summam benivolentiam, et gratiam conciliat patere ad te aditum omnibus omni tempore: audiri abs te subditorum praeces et querelas; nulla arma, nullos satellites latus custodire, nullas timere insidias: dignitate superiorem, humanitate reliquis parem esse. Arces tuas in quibus reliqui firmissimum ponebant praesidium, patere aditu omnibus, magni id animi, et singularis virtutis opus. Magnum quidem est vitae praesidium in virtute, qua qui munitus est, vitam securam degit. Equidem quid timere debet is, quem nulli timent? Non sceptro aureo aut eburneo stabiliuntur imperia, sed benivolentia et amore, et id sapientissimi regis opus

malle diligi, quam timeri. Timor namque solet subditos efficere, ac reddere inimicos, cum nulla res gravior eis, quam timor contiuuus existat: quo fit, ut nemo velit diutius timere; eum vero quem diligunt, cupiunt in imperio esse, et vitam exoptant largiorem. Adjiciunt superioribus liberalitatem ac beneficentiam, quibus virtutibus nihil naturae hominum accomodatius Cicero noster ait, hac prae caeteris reges decent, et spectant ad benivolentiam comparandam. Quid enim amabilius, quid delectabilius, quid pulchrius, quam opem ferre quamplurimis, et in summa rerum copia esse minime opulentum? Cyrus ille superior a Xenophonte celebratus cum a Lydorum rege reprehenderetur, quod nihil in thesauris haberet, essent autem regibus maxime necessarii, ostendam, inquit, infra paucos dies quantum auri possideam atque argenti; missisque nuntiis ad Satrapas, et praefectos suos, quos provinciis praefecerat, rogavit, ut quantum quisque auri posset, ad se deferri curaret: at illi magnam vim auri miserunt, ita ut opinionem regis superaret: coacervatum unum in locum ostendit regi, quo conspecto obstupuit ille, cum multo plus esset, quam quod a Cyro coacervari potuisse arbitraretur. Remisit autem statim aurum dicens, se thesaurum habere absque custodiendi cura, et molestia servandi. Ita rex sapientissimus maximum thesaurum esse existimavit ditare quamplurimos, et beneficio suo amicos reddere opulentos. Nam tum in omni conditione et statu, tum praecipue regio, cumulandi

solicitudo et avaritia culpanda est. Inanis est cura et stultitia non parva omnia possidentem partem aliquam velle percipere. Continentiam vero, temperantiam, innocentiam mirabilem in te esse praedicant: nemini in regno vim inferri, nemini injuriam fieri, leges valere; et armis esse superiores; Itinera quae antea latronibus infecta erant, tuta esse, ac pacata, securitatem omnibus esse propositam, compressam licentiam militarem, latrocinandi consuetudinem ablatam, nihil agricolis, nihil cuiquam pacato eripi, quae sola res tibi praestat nomen immortale. Te enim tanquam e coelo dimissum ad eripiendos populos de tyramnorum ac praedonum faucibus, quibus predae erant, admirantur, cum optata quiete, cum summa fruuntur libertate vivendi, aeque esse omnibus justitiae legem. Sed quoniam reliquarum veluti auriga, et moderatrix virtutum dicitur esse prudentia, haec enim earum usum docet, et quatenus sit progrediendum nostris actionibus praescribit, adjunxit tibi longus rerum usus, et experientia longior vivendi magistra, tum in capiundis consiliis, tum in perficiendi studio prudentiam singularem. Regis quidem omnes summa temperantia, et animi moderatione, summa pietate veluti bonus parens prospicis communi saluti. Nullum dictum insolentius, nullum superbius factum, nullus arrogantior gestus. Ita tuis imperas, ut libenter pareant: ita illi serviunt, ut nihil timeant; amare enim illos, non timere docuisti. Magni profecto consilii est, et animi bene ad virtutem instituti, diligi a suis,

quam timeri malle, et id assequi, ut tibi magis subesse velint, quam aliis praeesse. Quid loquar de affectione, quam habes, ad publicam pacem omnium, cum te pacis regem appelles? Magnum nomen et quod omnia imperia superet, omnes excedat triumphos: ingens haec est laus, et nescio, an major aliqua esse possit. Certe nulla res mortalibus est salutarior, nulla gratior, nulla sanctior. Ita illius sola commemoratio jucunda est, ut in ejus verbo homines conquiescant. Hac nominis significatione ostendis id, quod a sapientibus dictum est, bella suscipienda esse, ut in pace vivamus. Neque enim bella nisi spe pacis suscipienda sunt. Iniquus est enim et reprobus, qui bella ex bellis serit. Itaque si in hac tam digna regia voluntate perseverabis, id opere repraesentans, quod significas verbis, omnium, qui unquam fuerunt, virtutes et gloriam superabis. Xenophon doctissimus vir atque elegantissimus, Cyri, cujus antea meminimus, vitam pluribus voluminibus complexus, describit justi principis mores, officia, virtutes multas, et tribuit laudes, tum armis, tum pace partas, nihil omittens eorum, quae in optimo principe reperiuntur. Eum librum, Cicero ait, Affricanum superiorem semper in manibus habere esse solitum, et ipse asserit, se totum id volumen legendo contrivisse. Et certe omnia bene vivendi praecepta, omnia honestae vitae instituta, omnes virtutes, quae ad reges spectant, illo opere continentur. Sed et ipse Cicero testatur, non ad veritatem historiae illa, sed ad normam justi

imperii conscripta. Ita non quid Cyrus egerit, sed quid agere justus princeps debuerit, Xenophon prosecutus est. Idem et Agesilai laudes ita refert singulatim, atque extollit, ut potius orationi et ingenio scribentis, quam virtuti Agesilai tribui videantur. Nemo unquam melior, nemo sanctior, nemo sapientior potuit describi. Nactus est ille hominem disertissimum, qui ea, quae obscuriora erant ac tenujora, verborum sententiarumque lumine illustraret, et re parva verbis augendo faceret maxima. At vero tuas virtutes si quis mandare litteris voluerit, nulla fictione, nulla simulatione, nulla exornatione egebunt: veras laudes, veram gloriam inveniet, in quibus scribentis ingenium summa cum gentium approbatione longe poterit lateque versari. Sunt enim in conspectu omnium posita tua praeclara facinora, et ea ita eximia, ut potius de veris virtutibus quis aliquid omittat, quam queat aliquid fingendo addere. Non enim ficta, sed vera, non ignota, sed cognita; non audita, sed perspecta virtus, et quae in oculis omnium versetur, amplam scribendi materiam suppeditabit. Divum Augustum inter optimos principes historiae referunt, ac felices, et sane postquam solus imperavit, et Pisoni pepercit, summa moderatione et quiete animi usus est: at bello plusquam civili multorum sanguine civium proscriptorum, bonorum direptione, quibus ut vinceret juventutem exercuit, non effugit maculam crudelitatis. Impius quidem fuit in patriam, quae cum se adversus Antonium armasset, contra jus

fasque, nefaria in eam arma, inita cum Antonio societate, convertit. At tuae res gestae et regnum adeptum, omni carent labe crudelitatis; nullus effusus a te sanguis, nulla civium proscriptio, nulla direptio bonorum, nulla caedis vestigia visantur: victoriam ipsam, quae natura insolens et superba est, tua humanitate vicisti: adversariorum injurias tua clementia superavit, cum bonis restitutis eis peperceris, quibus jure victoriae juste poteras irasci. Trajanum, M. Aurelium, et Antoninos, antiquitas ut bonos principes laudavit: neque immerito. Ex iis enim, qui hactenus inter gentiles imperarunt, virtutibus, et imperandi modestia principatus eis tribuendus videtur: sed tamen nullus ex ipsis fuit, in quo non plura desiderarentur. Tibi vero adesse videmus omnia, quae in principibus commendantur; justitiam, clementiam, humanitatem, prudentiam, liberalitatem, cui nihil desit, quod justi imperii ratio requirat. Tu pacem, tu quietem, tu ocium omnibus concessisti, tu, securitate firmata, latrocinandi licentiam militibus sustulisti. Qua re nescio an quid aliud aut acceptius, aut gratius populis esse possit. Quid est enim aliis in lociis, in quibus hae gentes armis deditae versantur, quod quisquam, tanta est latrocinandi data licentia, proprium suum ducat? Qua re nescio, an quid infelicius possit hominibus accidere. Tu vero id tua virtute effecisti, et severitate vindicandi, ut quilibet manus abstineat a rapina, ut puniantur raptores, ut vindictae, judicioque subsit violentia, ut denique securius nunc in campis

homines, quam in urbibus quondam, aut privatis hospiciis degant; ut saeculum hoc tuum aureum dici possit, quo, sublatis militum terroribus, pace fruantur omnes, et quiete et securitate laetentur. Astraea ipsa, quae quondam propter iniquitates hominum in coelum migrasse dicitur, ad regnum tuum jam revertisse videatur. Non loquor adulandi causa, quippe qui nihil a te sum postulaturus, et id vitium longe a me semper abfuit. Equidem judico ad summam mihi accidisse felicitatem, nostris temporibus talem principem versari in terris, qui doctorum hominum parens existimetur, qui talibus resplendeat virtutibus. Ita enim rari hucusque fuerunt, qui vel paulo tolerabiliores existerent, ut portenti loco videatur bonum principem reperiri. Sed omnia praeclara rara. Fuit antiquis principibus summum litterarum studium, et doctrinae: at nostri, tum reges, tum imperatores inscitiae artem videntur professi, ignari prorsus quantum conferant litterarum studia ad excolenda instituendaque ingenia eorum quos Deus aliorum regimini, tutelaeque praefecit. Inventi quidem sunt nonnulli, qui duce natura, et ea egregia, evasere excellentes viri ad excolenda virtutis officia. Sed rarum id certe, atque difficile; neque enim amplecti virtutem facile potest; qua ratione in campum, atque in aciem deduceuda quae omnia, tum excellentium virorum exemplis, tum vero praecipue doctissimorum hominum litteris et doctrina, percipiuntur. Arduum videtur profecto quempiam posse virum egregium evadere,

et omni cumulatum laude, qui litterarum studia contemnat. Itaque maxime laudanda atque extollenda videtur tua sapientia, quod virtutes tuas multo usu et laboribus partas, doctrina et multarum rerum léctione amplificare, atque ornare voluisti. Nam ab his qui tecum vivunt familiarius, cognovi quotidie aliquid temporis te litteris impertiri, et doctorum hominum voces atque eorum familiaritatem minime aspernari, idque, quod est praeclarissimum, delectari admodum priscorum sapientissimorum virorum gestis, et ea veluti exemplar ad imitandum tibi esse proposita. Sed ut suspitionem adulandi effugiam, jam constituam mihi finem dicendi, et te solum ad te imitandum hortabor. Sed cum omnes virtutes colas, hortor per omnipotentem Deum, ut ad humanitatem, clementiam ac liberalitatem velis esse propensior, quae virtutes ita necessariae regentibus, ita gratae populis esse solent, ut firmamentum regni praecipuum et stabile esse dicantur; nullae ejusmodi principibus insidiae, nullae simultates, nulla odia, nulla sunt pericula extimescenda (1).

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Angliae.

Cogit me, praestantissime pater, singularis affectio, quam semper erga te gessi, ut ea ad te

(1) Anno eodem 14[illegible].

scribam, quae cognoscam hoc tempore ad salutem animae, ad laudem et gloriam tui nominis, ad posterorum memoriam pertinere. Dedit tibi omnipotens Deus multa bona in praesenti vita, et plura certe meliora ac stabiliora in futura largietur, si volueris tibi concessa, in ejus, qui tribuit, honorem et laudem erogare. Et sane reliqua caduca sunt et fragilia, quibus homines pro voluptate saeculi vacant; quae vero pro fide Christi, pro religionis incremento fiunt, firma aeternaque permanent, nobisque tunc opitulantur maxime, cum omnium reliquarum rerum auxilia desunt. Sola quae pro Christo impenduntur, nos comitantur mortuos, neque quicquam nobiscum ferimus, nisi quae Christi causa damus. Scio Dei indulgentiam plures divitias et fortunae bona in te contulisse, ut nisi ingrati nomen subire volueris, gratiae non agendae tantum, sed reddendae quoque sint ei, a cujus illa bonitate provenerunt. Sed tunc gratitudo praecipue ostendenda est, cum nostri operis, nostri arbitrii, nostri consilii est, agere quae placeant Deo. Vivos enim, non post obitum, decet ostendere pietatem in Deum, misericordiam in pauperes, liberalitatem in Ecclesias reparandas, non relinquere aliis facienda. Nam in vita sponte ea bona reliquaque facere videmur, post obitum vero inviti linquentes distribuenda et danda ea quae nobiscum ferre nequimus. Nuda enim anima a corpore evolat, nullis induta vestibus, nullo ornatu tecta, nullis opibus, nullo auro fulta, id solum ferens secum, quod Christi gratia largita est.

Cresum Lydorum opulentissimum regem poetae ferunt, cum post mortem ad fluvium Acherontem pervenisset, quia obulum secum ferre non potuit, qui Charonti daretur ad transvehendum, a flumine rejectum transire schafa non potuisse. Hoc eo spectat, ut intelligant opulenti et abundantes in saeculo parandum esse nobis viaticum futurae vitae, dum in hoc corpore vivimus. Nam quid reliqui pro nobis facturi sint, incertum est. Nobis ergo, dum tempus datur, nostra causa agenda est, et id curandum, ut advocato minime egeamus. Nullis certe nostra salus carior post obitum erit, quam nobismetipsis fuerit in vita. Ea vero in aetate jam es constitutus, ut jam sit omni animo, et mente de futura tibi vita cogitandum, disponendumque de bonis fortunae, dum licet arbitrio tuo, et in iis rebus, quas sciamus ad Dei gloriam spectare. Sed cum mente revolvo qua potissimum in re prae caeteris Deo satisfacere valeas, nulla occurrit major, nulla Deo gratior, nulla sanctior, nulla gloriosior, quam quae ad praesens per sanctissimum dominum nostrum Eugenium summum Pontificem omni studio tractatur, et quaeritur. Nam cum vero semper agitasset animo, quomodo Teucri de Europa expellerentur, liberarenturque Christifideles a tam calamitosa barbarorum oppressione, dudum jam maxime triennio elapso exquisitam ad id operam dedit. Nam et alterum legatum ad cogendum exercitum per terram adversus infideles, alterum per mare cum ingenti classe destinavit. Quod si nostris votis non respondit

finis, aut hominum error, aut Dei voluntas, cujus inscrutabile est judicium, fuit: tam ita Teucrorum potentia confracta pluribus praeliis extitit, in quibus majorem partem militiae amisit, ita debilitatae vires, ut ex litteris multorum principum se ad id offerentium, Dominus noster confidat infideles futura aestate posse ex Europa exterminari. Sed ad tantam rem aggrediendam, perficiendamque, non suppetunt vires Romanae Ecclesiae, neque Pontificii juris: quippe cum multa alia consumenda, et danda sint pro sua et terrarum Ecclesiae defensione, quae quotidie ab ejus hostibus oppugnantur, plura quoque in reparatione Ecclesiarum urbis, ad quae summo studio intendit, impendenda. In praeterita vero expeditione magnam pecuniarum vim impendere necesse fuit, ad quae onera ferenda Ecclesiae, et Clerus universae Italiae pro facultatibus subsidia praebuerunt. Solus Clerus dominii Florentini viginti millia florenorum dedit, et item singulorum dominiorum Clerus pro facultatibus subvenit. Nunc vero pro futura expeditione ut regum et principum extra Italiam auxilia quaerat necesse est. Itaque misit ad vos in Angliam, qui tam pro pia causa decimam jam olim indictam in subsidium peterent, quam spero, si estis, qui esse consuevistis, vos esse prompto animo concessuros. Verum cum sis primus in regno, tum natione, tum dignitate, tum opibus, tum prudentia, tum virtute, primus quoque debes esse hujus rei fautor, auctor, ac suasor; ut constet tua potissimum opera tantum bonum et

pium opus consecutum; utque ii, qui te caeteris in rebus inferiores existunt, in hac una minime videantur esse superiores. Sed haec tibi impensa erit cum caeteris communis; id, quod a te requiritur. Id, quod ego te hortor, amplius est, et majus quam quod ab aliis praestetur. Agendum tibi est quod dux Burgundiae egit, qui propriam armavit classem in subsidium Christianorum; quapropter sicut olim tuis impensis, tuo sumptu expeditionem fecisti contra Bohemos pro fidei defensione, quae res fuit omnibus saeculis memoranda, ita nunc, quoniam corpore non potes, tuis pecuniis subveni, et sis auxilio fidelibus Christi, et ad liberandos eos de infidelium servitute manus largas porrige. Mitte aliquem de tuis, qui tuo nomine, tuis signis, tuo insigni classem tanto viro dignam pro hoc tam sancto opere paret, atque instruat. Nulla res est, in qua laudabilius valeas tua exponere, nullam, quae tibi majorem gloriam, majorem caeteris utilitatem possit praebere. Quid autem Deo acceptius, quid tibi salutarius esse potest, quam liberare fideles a tam perfida oppressione? quam esse causa ut de faucibus Sathanae tot millia animarum pereuntium, per tuum auxilium eruantur? pro quibus Salvator noster sanguinem in cruce effundere, et vitam ponere dignatus est. Hoc erit salutare semen thesauri tui, qui in coelis seretur, qui in immensum fructificabit, qui servabitur in aeternum. Equidem credo Dei providentiam tibi longiorem dedisse vitam, et ad haec tempora reservasse, ut ostenderes omnibus non

cumulasse te thesaurum, ut illum in rebus inanibus et caducis consumeres, sed in re sancta, laudabili, acceptissima Deo, et in multorum salute fidelium collocares. Maxima facultas datur tibi imitandi illustrissimos reges Angliae, quorum ex sanguine ortus, eos dico, qui saepius ad liberandum Dominicum Sepulcrum de manibus infidelium profecti sunt, qui potentiam a Deo eis datam in ejus causa posuerunt. Resuscita igitur illorum gloriam jam obliteratam, et aliquod egregium in hac re opus peragas, quod sit non solum tibi, sed toti regno ad memoriam sempiternam. Multa quondam mortales pro hac caduca et terrestri gloria, pro praemio non admodum duraturo maximas fecerunt expeditiones, multa praelia commiserunt, infinitas pecunias consumpserunt. Quid tibi pro aeternis praemiis, pro caelesti gloria, pro immortalibus meritis assequendis agendum est? Certe non solum fortunae bona, sed vita quoque pro Christi laude videtur esse effundenda. Plures excellentes viri tanquam ignoti vitam transiere, cum non daretur facultas, aut tempus, in quo ostenderent virtutem suam. At modo tibi oblata est veluti divinitus propagandae gloriae occasio, qualis multis jam saeculis nemini principum Christianorum concessa; habes voluntatem et praeces Pontificis, qui ad haec negotia semper invigilat, hortaturque omnes ad capessendam defensionem reipublicae Christianae; habes multos proceres ad id paratos, qui classem expectant, et suam operam pollicentur; habes tempora accommodata,

et hostium debilitatem, ut nunc tempus sit ea agendi, quae antea veluti immatura fuissent, et absque fructu attentata. Velis igitur non omittere hanc aeternae gloriae, hanc hominum laudis adipiscendae occasionem. Da hoc decus regno, ut videatur in te majorum virtus et gloria revixisse. Da caeteris egregium de te magni animi exemplum, ut tanquam signifer publicae salutis fidelium extitisse videaris. Vellem esse tecum, ut verbis et voce haec potius a me quam litteris agerentur. Nam confido eam esse tuam sapientiam, ut non aspernareris pusilli hominis exhortationes, ad eas praesertim res, quae essent tibi aeternam vitam, et immortalem laudem allaturae. Haec scripsi manu mea: et quamvis scribendi labor mihi jam sit gravis, tamen causa, pro qua scribo, illum reddidit leviorem. Te oro, ut quae a me scribuntur pensites diligenter; nam cognosces, nullum melius, nullum praestantius, nullum gloriosius consilium ab ullo tibi posse concedi, quam quod tibi ad praesens a me affertur. Nam licet quaecumque pro Deo dantur illi sint accepta, speciosiora tamen videntur quae in rempublicam conferuntur, quam quae in privatam. Sunt haec certe ampliora, quae praeter fidei et animarum utilitatem, ad famam quoque hominum spectant et dignitatem. Vixisti semper summa cum laude et honore, fecisti multa commendatione digna; verum si hunc extremum, et veluti perfectiorem tuorum operum fructum ad utilitatem Christifidelium contuleris, nihil addi poterit ad amplitudinem memoriae tuae. Cum

enim in rebus ad aeternitatem spectantibus bona tua a temetipso collocabuntur, et immortalis laus, et aeterna praemia rependentur, pro quibus consequendis qui operam suam et diligentiam collocant, merito, et apud Deum, et apud omnes mortales, sunt caeteris hominibus praeferendi. Hi enim soli in hoc orbe vixisse dici possunt, reliqui vitam more peregrinantium transegisse, quorum vitam ac mortem in aequo ponendam sapientes volunt: utraque etenim ignota est. Itaque ad caeteras virtutes tuas accedat hic cumulus in extremo vitae, tanquam ad viaticum futuri saeculi reservatus. Romae die X. Decembris (1).

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Facio V. C.

Fecisti perhumaniter atque optime, mi Bartholomaee, qui me ad scribendum tuis suavissimis litteris provocasti. Ego enim jam, sive aetatis vitio, sive occupationibus, quae vel paucae et leves, plusquam antea sunt molestae, factus sum in scribendo remissior. Accidit quod munus officii mei totum in scribendi cura versatur. Quod fit, ut fastidiosior solito hic labor aliquando mihi videatur, ut non tantum non provocem litteris, ut solebam, alios, sed vix jam respondeam provocatus. Sed tua epistola ea humanitate, et benivolentiae

(1) Anni 1445

significatione scripta est, ut quemvis ignavum, et etiam somnolentum ad responsionem excitare posse videatur. Ago gratias Jacobo nostro, qui mihi talem amicum sua diligentia comparavit. Nam de eloquentia et doctrina tua jam non amplius testimonium Jacobi requirendum est, cum tuae litterae sint testis copiosissimus, parum illum pro hominis dignitate ac meritis dixisse. Non adulandi causa loquor; nam abfuit a me longissime semper id vitii genus; sed tui adhortandi ad eum cursum, quem coepisti, cum videam tantum in eo te profecisse, ut vel paucos, vel neminem auderem excipere, qui tibi essent eloquentia et scribendi suavitate comparandi. Sed paucis haec scribenda sunt, ut omnis assentandi suspicio absit. De me id tantum dicam conatus sum imitari eos, licet longo sequar intervallo, qui dicendi laudem meruerint; qua in re si quid profeci, gaudeo non omnino operam et impensam periisse. Video te cupere urbem visere, et certe nisi inceptum opus, ut ais, impediret, hortarer te ad inspiciendas reliquias ejus urbis, quae quondam orbis lumen praeclarissimum fuit. Equidem quamvis in ea jam pluribus annis ab ipsa juventute fuerim versatus, tamen quotidie tanquam novus incola tantarum rerum admiratione obstupesco, recreoque persaepe animum visu eorum aedificiorum, quae stulti propter ingenii imbecillitatem a daemonibus facta dicunt. Caeterum omnia in tempore agenda sunt. Dialogum tuum expecto summa cum aviditate, et item invectivarum libros in eum, quem nominasti, de quo tantum dicam

duas res, verba scilicet et scripta esse mentis interpretes, quae animum nostrum designent, quae quoniam palam sunt, facile judicium suum audientibus, et legentibus praebent. Cyrum Xenophontis absolvi, quem cui dedicem incertus sum; multi enim multa suadent, prout quemque animi affectio trahit. Caeterum rex tuus litteris deditus est prae caeteris regibus orbis, et in talem regem hic liber, ubi agitur de institutione justi principis, optime quadraret. Locutus sum cum Jacobo circa eam rem quaedam, ad quae se responsurum pollicitus est. Verum quod satis miror, nihil scripsit, ut adhuc pendeam animo, quid sim acturus. Utcumque tamen liber edetur, in primis ad vos veniet. Cicero id opus laudat, sed ab eo traductum ad latinos nondum apud nostros legi. Tu autem ubi id repereris, scribas ad me velim. Scio, et testis est inter caeteros Beatus Hyeronymus, Ciceronem lusisse in Oeconomico Xenophontis, quem librum latinum fecit in adolescentia: Pediam vero ab eo traductam non memini me legisse. De me autem tibi polliceor me tuum esse penitus, cujus, vel opera, vel diligentia utaris arbitrio tuo. Id certe agam, ut existimes me a nemine vinci in amoris officio, aut benivolentiae. Vale et ama (1).

(1) Anno eodem 1445, vel subsequentis initio.

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Domino Archiepiscopo Cantuariensi.

Scio, reverendissime pater, te habere multos famulantes ac servitores propter eum statum, in quo tua virtus te collocavit: quod ferme omnibus iis accidit, quos aut fortunae favor, aut ambitio, aut probitas, quod tamen perraro accidit, extulit ad altiorem gradum. Concurrunt enim noti pariter et ignoti ad eum, a quo sperant se aut honorem, aut dignitatem, aut lucrum propter quas res omnis in hoc orbe concertatio est consecuturos. Mel enim muscae, ut ait Seneca, lupi cadavera sequuntur. Sed rara amicitia est, aut solida benivolentia in illis, qui ad eam, utilitatis specie, aut aliquo privato commodo, provocantur. Nam benivolentia utilitate parta, dum ea cessat, dissolvatur necesse est. Qua in re maxime falluntur, qui eos sibi amicos putant, quibus ipsi non sunt. Quo forsan, inquies, haec philosophandi ratio spectat? Ut intelligas Poggium tuum non utilitati, non opibus, non fortunis tuis, sed tibi amicum esse, meque eam, quam dudum tum tuo beneficio provocatus, tum mea sponte, benivolentiam erga te concepi, ad hanc diem integram servasse. Non autem scripsi tibi jamdudum, cum ad altiora provectus es, ne viderer velle aliquem ex meis litteris, quod plurimi solent, quaestum facere. Itaque malui silere quam suspi-

tionem lucri aliquam praebere. Nunc cum vir ornatissimus, mihique summa familiaritate conjunctus Thomas Candour Domini nostri Papae Cubicularius ad te veniret, ac rogaret (cum dicerem me tibi esse deditissimum) ut aliquid ad te scriberem, calamum sumpsi, tum ut abrumperem silentium meum diuturnum, tum ut scires me tuum esse, et esse in Curia hominem licet pusillum, qui summe cupiat facere rem gratam tibi. Id cum voles, experiaris licet. Agam profecto, ut plane intelligas nihil esse tam grave, quod mihi non levissimum videatur, ut satisfaciam voluntati tuae. Vale, et me in tuis, ut fui semper, adscribe. Romae die XXIV. Martii (1).

EPISTOLA X

Poggius pl. sal. dicit Dalmatio Archiepiscopo Cesaraugustano.

Debentur tibi a me non vulgares gratiae, praeclarissime atque optime pater, pro tua singulari humanitate, quam ostendisti rescribendo meis litteris tam eloquenter, tam benivole, tam amice. Tuli quidem fructum uberrimum silentii tui, qui tam copiose, tam ornate, tam suaviter scripseris ad Poggium tuum, et quidem ita me commendas, ita ornas tua epistola, ut me tibi plurimum debe-

(1) Anni 1440

re profitear: hoc accidit tua erga me benivolentia, non merito meo. Est virorum bonorum ac praestantium gratitudo, cujus est proprium ut reddat gratiam cumulatiorem. Existimabam te aliquid mihi debere pro mea in te observantia, et litteris, quas ad te misi: at nunc tua benignitate ac praestanti ad virtutem natura effectum est, ut tibi tantum debeam, quantum vix gratus homo possit exolvere. Accedit, quod donum, quod a te petii, ita liberaliter porrigis, ut non postulatum, sed ultro oblatum esse videatur. Sed de hoc alias cum venerit munus tuum uberius scribam. Nunc paucis uti volui, ut significarem, et diligentiam optimi viri Petri qui mihi litteras reddidit, et me minime in respondendo negligentem. Neque enim fas fuisset me tacere, cum tu tam eloquenter loquereris. Et ut verum fatear, scio multum me abesse ab eo viro, et iis laudibus, quas in me congessisti: sed tuo erga me amore etiam parvula videntur esse maxima ac praeclara. Id me calcaverit, ut enitar talis esse, qualem esse me cupis. Sed multa impediunt susceptum iter, non mea, sed temporum, quae sola accusare licet, culpa: Verum inter familiaris domesticaeque rei curam, non negligam quae ad ingenii laudem spectant. Te vero posteaquam rebus meis delectaris, faciam participem eorum, quae a me eduntur. Orationem in laudem Leonardi Arretini editam tibi placere, mihi summae est voluptatis. Scripseram antea quatuor alias funebres orationes, quas si habere cupis, curabo ad te perferendas. Libellum item de

nobilitate, unum aliud de principum infelicitate, qui an in manus tuas pervenerint ignoro, a multis probantur nescio an recte: mihi enim mea non admodum placent; quicquid tamen sit, Poggius tuus est. Vale, pater mi praestantissime, et nostrae antiquae consuetudinis memor. Romae Kalendis Maiis (1).

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Baldanae.

Si vales, tuique recte valent, bene est: ego quidem valeo, et, ut spero, quae a me abest familia. Nuper cum tuas litteras accepissem, laetatus valde earum lectione. In primis illud animadverti, quod mihi admodum placuit, te uxorem et filium habere, et ut videor, delectari hortulo tuo, ut jam statueris, ut reor, finem peregrinationi, et vaces domesticae rei. Commotus sum paulum, me culpa temporum, quae securius culpare licet, nondum posse statuere id quod semper optavi, vivere in otio cum aliqua dignitate, qui finis omnibus bonis propositus esse debet. Senectus enim jam quietem requirit, studia litterarum otium postulant. Sed utrumque deest, et hae sunt temporum conditiones, ut haec magis optare, quam sperare posse videar. Utcumque tamen fortuna res nostras verset, conabor aliquid agere, quod

(1) Anno 1446.

ad virtutis curam spectet, ut non ignavo ocio marcescam, et ut semper egi, honorem ac probitatem omni praeferam utilitati, vacaboque ad ea potius, quae nostra sunt, hoc est laudem et virtutem, quam ad ea, quae alieni sunt arbitrii, et fortunae temeritati subdita. Caesari tuo libellum confabulationum obtuli, si illum velit transcribere, et item de principum infelicitate; sed is aliis, ut opinor, impeditus negotiis tardiusculus est. Itaque illum litteris sollicita, ac verbis urge, ut sit promptior ad satisfaciendum desiderio tuo. Confabulationes quae levibus versantur ac jucundis in rebus, animum a gravioribus curis laxabunt, et movebunt ad risum, cum sint res in eas conjectae ad excitandam alacritatem accommodatae. Alter gravior est liber, et utilis ad reprimendam regnandi, dominandique cupiditatem. Scio te utrumque cum voluptate esse lecturum. Alia insuper in manibus sunt, quae tempus ipsum edet. Ego, mi Bartholomaee, gratias tibi ago, quod me ad scribendum excitasti. Vale et mei memor. Manu veloci. Romae die XII. Maii (1).

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit insigni Duci Malatestae Novello de Malatestis.

Etsi mihi verendum sit, ne subeam importuni nomen, qui ad te ignotus scribam; tamen tua

(1) Anni 1446.

humanitas et doctrina quibus te praeditum affirmant, mihi scribendi fiduciam praebuerunt, praesertim cum nihil a te praeter benivolentiam, quae facillime a praestantibus virtute viris concedi consuevit, sim postulaturus. Equidem multa a multis intellexi, quae ad summam tuam laudem spectarent. Nam, et te litterarum studiis deditum, ita ut continuae lectioni etiam inter armorum strepitus vaces, et singularem in te esse humanitatem vitaeque modestiam ferunt. Quae virtutes licet sint rarae, tamen bonis principibus necessariae existunt, et certe magis resplendent in persona publica, quam privata. Haec cum Nicolao tuo Secretario cum inter loquendum communicarem, affirmaremque admodum me laetari tot virtutes in eo vigere, cujus familiae ac progenitoribus fuissem deditissimus, multo ea, quae de te audiveram, suis verbis illustriora effecit. Confirmavit hoc idem cognatus meus, qui pridie ad urbem venit, ita ut antea sub umbra quadam intellexisse, nunc ipsis oculis ea cernere viderer. Non scribam quicquam adulandi causa, verum ea de te deque tuo ingenio, studiis, probitate, continentia, humanitate narrarunt, quae si colere volueris, non solum parem te, sed superiorem quoque omni virtutis genere tuis superioribus, et quidem egregiis viris sint reddítura. Magni exquisitique ingenii est in magna licentia honesti notionem habere, et ita vivere, ut inter peccandi facultatem innocentiam serves. Id quoque difficillimum esse consuevit, adolescentiae impetus

ita continere, ut non progrediantur extra officii metas. Haec cum tibi non casu, sed dedita opera contigerint; cum adolescentiam summa egeris modestia ac temperantia; cum litteris plurimum temporis ea in aetate impenderis, quae solet esse lascivior, et litteris inimica, quippe variis implicita voluptatibus, procul dubio est sperandum, te aetate firma et corroborata, haec tam laudanda a te jacta fundamenta virtutum in magnam molem evasura. Itaque te hortor primo, ut quo summa omnium commendatione coepisti itinere progrediaris, teque tibi imitandum proponas, ut videantur una cum annis in te crescere et virtutes; tum ut me in tuis habeas: polliceor enim, si perseverabis in virtutis et doctrinae indagatione, quae sola recte vivendi praecepta subministrabit, et cupiditates insanas suadebit esse abjiciendas, me non qualem forsan te decet, sed qualem per occupationes licebit, nominis tui buccinatorem esse futurum. Haec paucis ad te scripsi hortatu Nicolai, qui ut scriberem, rogavit. Vale, et me inter tuos adscribe (1).

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit insigni Duci Malatestae Novello de Malatestis.

Antiqua est et vera sententia, dux insignis, in amicorum causis licere nobis esse aliquando

(1) Anno eodem 1446.

importunos, et quod in nostra re culpandum esset, saepius est pro amicis concessum. Hoc scribo, ne mireris me, hominem ferme ignotum tibi, audere virum tibi notissimum commendare. Sed et satisfaciendum fuit amici officio, ne viderer, quod facile possem denegare, et mihi nomen rustici, elatique fugiendum. Fuit hic in Curia tuus orator vir egregius Antonius, contribulis meus, praetor Cesenae, qui ita diligens in prosequendis tuis mandatis fuit, ut laudem a te mereatur propter fidem et solicitudinem suam. Non est opus ut tibi commendem eum, qui propter suam virtutem scio esse commendatissimum tibi; tamen ultra eam, quam tua sponte, erga ipsum habes benivolentiam, aliquid addas oro ob praeces Poggii tui. Praebet mihi tua humanitas ac virtus fiduciam tecum loquendi domestice, et tibi commendandi eos, qui rectius pro me hoc officio apud te uti possent. Sed egregii est ingenii, qualem tuum esse novi, aequo animo ferre hominis tibi deditissimi, vel importunitatem, vel stultitiam appelles licet, dummodo quae a me scribuntur potius officio, quam levitate adductum ad scribendum putes. Et quoniam impudens esse coepi, aliquid addam, quo forsan me nimis existimes arrogantem. Manentes adolescens nobilis, uxoris meae frater, ad te deferet aliqua opuscula mea, tum serio, tum joco a me conscripta, quae si placebunt tibi, reliqua in quibus elaboravi habere poteris. Eum tibi majorem in modum commendo.

et ut in tuis, quod commodo tuo fiat, suscipias oro. Vale dux praestantissime (1).

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Viro insigni Petro Thomasio Veneto.

Plusquam ingentes ago tibi gratias, vir praestantissime, pro singulari amore, quem et verbis et litteris erga me ostendisti. Id enim proprium amoris signum esse videtur, castigare amicum, monere errorum, et velle efficere sua opera meliorem. Hoc boni amicique viri officium cum abs te mihi praestatum fuerit, non agere, sed referre tibi gratias deberem pro tanto beneficio, quod certe est exquisitum quoddam ac singulare. Sed ut ad litteras veniam tuas humanissimas illas, quidem et summa cum eloquentia scriptas, ad id primum quod magis me afficit, respondebo. Fateor, mi Petre, est enim ingenui animi errorem suum fateri, me olim errasse in eo, quod retuli in meis confabulationibus cujusdam contra Venetos dicacitatem. Sed id neque a malivolo animo prodiit, neque alieno a dignitate praestantiaque illius reipublicae, quam semper, propter summam, quae in ea servatur, justitiam, propterque multorum excellentium virorum sapientiam, colui. Neque

(1) Anni eodem 1456.

propter detrahendi cupiditatem, sed inconsiderata quadam, ut me in eo accusem, libertate loquendi me id scripsisse fateor, non advertentem quid ex eo dicto essent judicaturi homines. Res vero ita accidit ut videas, me non judicio, sed scribendi varias fabellas cura adductum, ea verba in confabulationes conjecisse. Sex jam abhinc annis cum illas fabellas coepissem scribere, ostendi cuidam quae a me scripta ad eam diem erant, ut eas probarem judicio suo: ille eas cum admodum laudasset, et hoc addas, inquit; licet mihique rem, ut a me acta est, enarravit: quod ego statim arripui, interque alia conjeci, non considerans quatenus id multi essent accepturi. Postmodum non relegens praeterita, sed quotidie nova addens, eam et plures alias sententias sum oblitus memoriae culpa, ut nonnulla iterarem scribendo, quae postea admonitus delevi. Equidem fateor, mi Petre, cum tuas litteras recepi, paululum erubuisse talia a me scripta, cum eorum nullam memoriam tenerem; sed e vestigio e meo volumine delevi, et a duobus aliis, quae erant transumpta. Non sum neque Deus, neque divina stirpe satus, ut prisci heroes, ut errare non possim, sed satis est cognoscere errorem, et fateri culpam. Nunquam sum adductus aliquo studio, ut reipublicae, aut civibus maledicendis, quippe qui sciam esse in ea plures singulares sapientia viros, a quibus et verbo et opere castigari et corrigi possem, mihique praeterea sit cum multis summis vestrae reipublicae viris vetus amicitia, et con-

suetudo. Sed trahere omnia in pejorem partem, et iniqui animi est, et non recte judicantis. Miror tamen talem tam gravem tam morigeratam urbem ob parvulum dictum esse adeo in me excitatam, cum nihil a me in eo libello inventum sit, sed dicta aut facta aliorum relata. Fateor, ac etiam profiteor vestram rempublicam esse optime et legibus et moribus institutam; sed tamen redigere singula ad perpendiculum, ut non verborum tantum, sed actus quoque, et gestus, spuendique in publicum, tanquam apud stoicorum sapientem, ratio sit habenda, nimium curiosi, certe inhumani esse videtur, ut si mihi detur optio, malim apud nos rusticus esse, quam apud vos urbanus, loquendi, et jocandi, et quandoque reprehendendi libertate sublata. Sua cuique placet sponsa, ut Cicero ait, mihi mea. Tibi tamen plurimum debeo, qui defensionem meam apud obloquentes suscepisti; sed si scirent quanti eorum opiniones, et voces faciam, parcerent verbis, neque spiritum consumerent, quem rectius in somno, quam in vigilia collocarent. Et haec de confabulationibus, quae si satisfaciunt tibi, gratum erit mihi videri majori ex parte esse me extra culpam, sin vero minus, contentus ero conscientia mea. Venio nunc ad causam nobilitatis qua in re priusquam tibi respondeam pauca mihi sunt praemittenda. Scio, mi Petre, omnia quae scribis ad me, optimo te animo, et sincera mente scribere, et singulari erga me amore adductum: sed quidam apud vos sunt, qui, magis quam deceat, blandiuntur

opinionibus suis, et quae ipsi de se existimant, et praesumunt, ab aliis quoque aestimari credunt, ac solos se prudentes, solos eloquentes existimant contemptis caeteris, sua vero tanti faciunt, ut ab omnibus laudari putent, et quae ipsi probent, ab caeteris existiment comprobari. Sed longe tota aberrant via. Non enim a nobis ipsis nostra, sed ab aliis expetenda sunt, neque ab iis rudibus, aut litterarum ignaris, sed a doctis et ingenio praestantibus viris. Nam vulgi judicium nunquam a prudentibus et sapientibus magni habitum, aut existimatum vidimus. Sunt apud vos permulti doctissimi viri, et omni laudis genere, et doctrina praestantes, sed et aliis quoque, a quorum numero longe absum, neque, ut leviter dicam, deest ingenium neque eloquentia, neque virtus, neque doctrina. Est singulis sua mens, suum ingenium, suae doctrinae genus, licet vacent ostentatione. In iis vero, quae ad honorem spectant, quisque sibi est suae, et laudis, et honoris protector. Multi, ut ais, ex vestris existimant a me Venetorum nobilitatem laesam: et Laurus tuus, qua in re aperte mentitur, et calumniose a me accusatam nobilitatem dicit, et me hostem (sed hoc ut libet, nam id admodum contemno) suis ad te litteris appellat; ostendam, si prodierit, non me sed illum nobilitati bellum indixisse. Judicent caeteri, quid velint, plus apud me ratio valebit, quam judicium stultorum, quorum magna ubique copia reperitur. Ego nihil contra nobilitatem scripsi, ut ille temerarie

somniat, sed contra falsam multorum opinionem nobilitatis. Si in ea re non recte sensi, aut non rite diffinivi nobilitatem, aequo animo patiar corrigi a sapientibus et doctis errores meos, quo in loco expecto libellum tuum summa cum aviditate, ut aliquid novi discam. Sed nisi aliter vestri ac nostri auctores loquuntur, summa erit opus eloquentia ad defensionem ejus causae, quae non a me, sed ab aliis multis sententiis et verbis actenus est discussa. Verum stomachum mihi fecerunt litterae Quirini tanta jactantia scriptae ut Crassum dedecerent, qui immemor facultatis suae more levissimi hominis se nimium effert laudibus, et ultra quam vires suae patiantur. Ciceroni mehercule verborum ea pompa et fastus esset inhonestus, solum se oratorem, et philosophum putat, caeteros despicit, et contemnit. Jejunitatem artium nobis obicit, et veri cognitionem. At si in campum proderit, non jejunum, sed satis saturum me reperiet, et sentiet non deesse veri cognitionem. Sed forsan tot uxorum numero (nam musas sibi matrimonio copulatas ait) confixus, adeo insolens factus est. Tu vero sibi nimium tribuis, et deceptus forsan tua erga eum benivolentia, longius progrederis opinione in eo existimando, quam doctrina sua et dicendi ratio postulet. Sed nolo progredi ulterius in ejus commemoratione. Expecto videre epistolam in me suam, quam rogo ad me mittas, horterisque illum ad edendum quae scripsit. Nam si in me insurget, ulciscar injuriam, et quidem opulenter, et excitabo

hominem paulo acrius, quam credat, non ut jejunus, sed tanquam crapulatus a vino, ut psalmista inquit. Experiar autem, an ita, ut ait, acriter et oratorio more et forensi strepitu in me insultet. Novi satis hominem, novi scripta, novi dicendi genus, quae ne dum me terreant, sed alacriorem reddidere. Itaque avidissime illa Sybillina responsa expecto, ut meo more illum suae conditionis et ingenii oblitum, postquam se ipsum ignorat, aliis notum reddam. Non tantum sibi arrogat, quantum ab aliis detrahetur. Sentiet et aliis quoque non ignotam philosophiam, ut frustra allucinatur, et non incognitum unumquodque dicendi genus. Scribant et ipse, et quicunque volunt, omnes in me obloquantur, et ut libet obstrepant, vel insaniant etiam licet: nam satis mihi erit unus pro populo. Hos tu non a scribendo, aut edendo deterreas, sed horteris. Scio quam ingenia apud vos sunt, quam acuta, quam dicendo exercitata: novi etiam me ipsum non mutum omnino, non insulsum, neque stupidum ingenio. Nam quod aemulos meos contra me a multis incitatos scribis, nescio qui illi sint, sed prodeant palam licet; ego neminem novi praeter impurissimam belluam Philelphi, cui ego satis dignam mercedem rependi, cum alias, tum nuper, prout videbis per orationculam, quam in ejus edidi scelestam vitam, quam tibi mitto, ut Laurus si quid contra me protulerit, tanquam primitias videat retributionis meae. Nemo est, te excepto.

atque ornatissimo equestris ordinis viro Francisco Barbaro, quorum ego doctrinam, auctoritatemque, et in me benivolentiam tanti facio, ut castigationem, reprehensionesque acerrimas aequo animo ferrem, cui non cumulate etiam, nisi me animus fallit, gratias sim retributurus. Non enim larvas timeo, et personatos vultus. In aciem descendendum erit, et aperto Marte agendum. Quamvis autem senex sim corpore, adhuc tamen animus viget, ut vel solus multorum impetum sustinere possim. Nicenus ad se nihil missum dicit; sive id verum sit, sive non probet scripta, sive timeat ultionem. Postquam haec scripsi, aliae litterae mihi a te redditae sunt, et interclusa cedula. Mitiorem illum factum scribis, agat, ut lubet, provocet bellum, postquam me hostem appellat, indicat; ita me paratum sentiet, ut non cedam acie, licet victoriam sibi polliceatur, stulte quidem, cum nondum alterius prospexerit vires. Ego ne tempus mihi a negotiis vacuum per negligentiam effluerel, historiam Xenophontis, quam Cyri Pediam vocant, jam latinam feci non ludendo, ut amicus tuus somniat, sed laborando. Ita vero a me traducta est, ut latina esse videatur. Non enim singula verba, aut sententiolas expressi, sed scripsi more nostro, ita ut sperem futurum, ne contemnetur a doctis. Paucis quiescam mensibus, tum de integro limabo, opusque edam volentibus legendum. Vale, et me, ut facis, ama, et tuam defensionem mitte, quae mihi gratissima

erit. Scio enim te rationibus non contumeliis, modeste, non contumaciter mecum certare (1).

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Petro Thomasio V. C.

Facis tu quidem more boni sapientisque viri, qui moleste fers discidia et contentiones duorum, ut appellas, doctorum virorum, et me amice admones ad pacem. Sed existimo ex oratione tertia, quam contra illud monstrum edidi, et ex epistola insuper, quam ad te scripsi, probatam tibi esse causam meam, et te intelligere non sponte, sed necessario ad reprimendam illius scelesti portenti dicacitatem hanc provinciam a me esse susceptam. Nam tum vere essem caudex, stipes, asinus plumbeus, et quicquid, ut ait Therentius, instultum dici potest, si paterer me ab inani rabula, et insulso dicendo et obtrectando superari. Sed ut notior tibi res sit, paucis repetam, quae contra illam veneficam bestiam me ad scibendum impulerunt, ut a me non levis hominis, aut ignavi, sed tum boni viri officium, tum tuendi honoris et famae onus, me subisse judices. Nullus unquam tam jure naturae obnixius atque adstrictus patri filius fuit, quam olim pedagogus Philelphus Nicolao Nicolio Florentino, viro non solum multarum rerum doctrina, quae in illo

(1) Anno eodem 1446.

viguit, sed optimis moribus, et vitae sanctimonia praestanti. Plurima in Philelphum Nicolai beneficia extabant, qui illum nudum, inopem, et tanquam e naufragio ad scopulos ejectum, hospitio, facultatibus, fortunis, omni denique ope cum ille primum, et Nicolao accersente, venit Florentiam, sublevavit, egitque, ut in ea civitate ad legendos poetas, artemque oratoriam tradendam, quarum facultatum se architectum praedicabat, publica impensa deputaretur. Summa inter eos erat communis vitae usus, et consuetudo, una semper erant, una consilia communicabant, una de studiis et litteris conferebant. At paulo post, cum mores reprobi, vita perdita, promptum ad omnia mala facinora ingenium Philelphi (ficta enim virtus paulo durat) Nicolao ex domestico et quotidiano usu innotescerent, cum reservari interior animus inciperet, Nicolaus, primo virum reprehendit, deinde paulum, qui mos suus erat, lacessebat verbis, atque increpabat nefarii viri sordes, quae postquam sanas monitiones mens dedita flagitiis respuens, atque aspernans aegre ferre prae se tulit, Nicolaus dissuere potius, quam abrumpere contractam amicitiam coepit, illiusque consuetudine abstinere; Philelphus se contemni videns, coepit in Nicolaum more suo invehere, existimans Leonardo Arretino, cui cum Nicolao inimicitiae erant acerrimae, gratis esse facturum. Nicolaus qui vir acer, ac promptus erat ad lacessendum, praesertim improbos, coepit palam exagitare ulcera Philelfea, et quae doctrina, quae

vita, qui mores, quae facinora illius essent omnibus edere. Hic Philelphus videns palam fieri turpem animum, vitam infamem, et scelera occulta fieri manifesta, de repente poeta factus plures satirulas, satis inconcimnas, adversus Nicolaum scripsit, ita obscoene, ita impure, ita sordide locutus, ut in vilissimo lenone id absurdum, atque acriter vindicandum fuisset. Neque contentus semel, aut iterum mentiri, quotidie falsum aliquid novi in virum sanctissimum fabricabat. Deferebantur haec ad me ab amicis, qui dolebant hominem innocentissimum a bellua spurcissima atque inquinatissima tam foede vexari. Itaque amicitiae motus officio, cujus est amicum ut se ipsum tueri (Nicolaum enim ut parentem semper colui) nefariam injuriam rejeci in auctorem deterrimum omnium, qui viverent, scribens primum orationem contra Philelfi impuritatem, et illamet, quae contra Nicolaum evomuerat, retuli in os illud spurcissimum, et faciem impudicam. Alteram deinde orationem impulsus novis nefarii monstri satiris, non mea, sed amici causa, conscripsi. Credo quod non reprehendes, quod pro altero me, is est amicus, honesta arma sumpserim contra nefarii hominis libidinem perversam. Homo perditus non repulit crimina, vera enim erant omnia, neque se ulla ex parte purgavit, quippe cui deerant farmaca ad diluendas ejusmodi sordes accomodata; sed in me ipsum impetum fecit, multa, tum versibus, tum soluto sermone fingens, ut eloquens videretur, in quibus archana sui cordis, et pectoris

reservavit, promens ea quorum extiterat, eratque optimus architectus. Utebatur ad haec edenda nefarii cujusdam, veneficique Jacobi Pisaurensis opera, quondam ejus discipuli, qui explorator primum, tum proditor se Philelfi gratia in meam familiaritatem insinuarat, domum meam adiens, et me benigne appellans, ut amicus mihi, quamvis Philelfi discipulus fuisset, se esse simulavit. Adolescens peracutus qui id agebat, ne scelere magistro suo inferior judicaretur, cum a me benigne humaniterque litterarum gratia, quarum se cupidum profitebatur, saepius exceptus esset ad Philelfum plura contra me scripsit hortans illum ad invehendum, multa fingens, in quibus ille nequam adolescens se mentiri profitebatur. At ego sciens quis esset Philelfus, quanti sua scripta, vel somnia potius aestimanda essent, quanti facienda ejus jurgia ac maledicta, nihil unquam suis scriptis respondi, omnia illa tanti existimans, quanti vilissimi nebulonis, aut farmacopolae potius verba a bonis viris sunt facienda. Latrare illum sini, et more suo maledicta confringere, quippe cum non mea, sed propria vitia a suo auctore describentur. Accidit postmodum, ut a te scripsi, ut per Cincium Romanum mecum de reconciliatione ageret: ego omnia remisi erroribus suis affirmans, sicut multo tempore fecissem, taciturum me, cum is esset Philelfus, ut evomendus ex omni mente, et ex omni memoria abjiciendus esset, modo ipse calamum contineret. Egit mihi tum gratias Cincius qui hoc tribuerim amicitiae nostrae. Veni anno

post Romam, ac mihi statim multi versus, quos contra me noviter fecerat, perque adolescentem quemdam Romam destinarat, oblati sunt, simulque alia quaedam, in quibus sane admodum risi. et fidem hominis laudavi ac prudentiam, qui existimaret sibi cum homine elingui atque insulso congrediendum. Itaque perfidia abjecti cadaveris motus scripsi tertiam in illam bellnam pestilentem orationem, in qua illius originem sacerdotalem, ementitam educationem, adolescentiam libidinosam, omne tempus aetatis infamia et sceleribus nobilitatum recensui. In hoc minime a te sum culpandus, si retuli gratiam provocatus: quinque etenim annis, et amplius silui nihil in illum scribens, ut qui e memoria excidisset. Verum lacessitus contra fidem, contra postulata, contra conventa per doctissimum virum, ultus sum illius insanam dicacitatem. Nuper vero exemplar illius putidissimae pecudis ad te litterarum, in quibus me contumelius nominat, me paulum commovit. Mitto quod te ad concordiam hortantem spernit consilium respuit, pacem abhorret, cum dicat non esse parcendum non poenitenti bambalionem appellat, et quod putat fore molestissimum, sua privat felicitate. Quid ille impudens asinus, ac ob famem rugiens credit ne me adeo stultum, ut vili mordacique illi barbato pediculo subjici velim? quae sua auctoritas, quae doctrina, quae opes, quae dignitas, quae facultas, ut abjectum ex ara porcellum Poggius roget, ut maledicendi artem remittat? At per me licet loquatur.

et scribat, quantum velit: nam mercede non carebunt sua maledicta. Num me supplicem vis esse Philelfo? numquid ita mentecaptum me credis, ut famam laedenti non respondeam? Quamvis inimicitiarum obliviscendum sit, tamen et jure aliquando vindicta expetitur, et reddere inimico par pari licet. Quamvis etiam si vellem injurias remittere, non possem, cum ille semper semen injuriarum serat. Scio ex praecepto Domini etiam inimicos esse diligendos; sed non legi aliquod praeceptum, malos esse laudandos. Ego Philelfum non odi, sed mores: scripta refellere, et os illud durum saxo contundere nécesse fuit; quod si tacebit, ego quoque verbis parcam, ut in rebus melioribus otium consumam. Sin ille malitia obloquendi, scribendique perseverabit, parebo necessitati et naturae hominum, quae est, ut injurias repellamus. Scripsisti ad illum litteras satis humaniter pro concordia, sed videbis responsum suum superbior, mihi crede, et tanquam nequam servi solent verberibus, in diem deterior fiet. Ita ardet cupiditate privandi me illa sua cupiditate quam in decimo complectitur infamiae libro, ut bellum continuum malim, quam ullam pacem, ne ea voluptate obloquendi privetur. Verum ut finem faciam, et ne me pervicacem putes, parebo monitis et consiliis tuis, et ibi pedem sistam, ubi me collocabis, dummodo honori meo (nam illi nihil boni detrahi potest) non detrahatur. Romae die X. Januarii (1).

(1) Anni 1447.

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Petro Thomasio V. C.

Plures fuerunt causae, quae me impedirent ne citius responderem litteris, quas ultimo ad me scripsisti. Puto aliqua narrasse tibi doctissimum virum, mihique amicissimum Paulum de Serezana, qui cum ad Pontificem venisset benigno laetoque animo susceptus, ad vos rediit non parva spe injecta certi officii consequendi. Quod propositum meum commendas de Philelpho, ego obsequar, ut scripsi, tuae voluntati. Considerabo potius quidquid illo sit dignum, quamvis, ut alias scripsi, citius sibi vitam eripuerit, quam maledicendi artem, atque obloquendi: sed illius obliviscamur omnino. Te gaudere electione hac novi Pontificis admodum probo, et recte et jure id facis, est enim hic, ut noster ait Therentius, homo perpaucorum hominum, et quem coelitus datum nobis credam adornandos, atque excitandos egregios doctrina viros. De Astrologis vero quae scribis et astrorum vi tibi assentior, quamvis isti theologi praedictionibus repugnent, et Deum praeesse eorum fatis dicant, mutareque illorum minas. Misi tamen tibi quae postulas per Paulum nostrum, quo cum mihi summa familiaritas fuit; est enim vir doctus, et perhumanus, meique, ut videtur, amantissimus. Edidi oratiunculam ad Pontificem nostrum, eam ad te mittam, cum primum invenero cui credatur

recte: Haec scripsi ad te paucis manu festina: satius est enim atque honestius aliqua, quam nihil scribere. Vale, et me ama. Saluta verbis meis Paulum nostrum. Romae die 6 Maii (1).

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Benedicto Arretino Jurisconsulto V. C.

Non excusabo tarditatem meam in respondendo tuis litteris, quia longior esset excusatio quam quod est scribendum. Id certo scias non esse id factum negligentia, sed occupationibus et molestia scribendi, cum omnis mea actio circa scribendi officium versetur. quod saepius ita displicet. ut mallem quandoque nescire litteras. Tu aequo feres animo amici vitium. et parces ignaviae meae. Habemus Pontificem (2) virum doctissimum, atque optimum, et cui nihil desit eorum, quae in bono principe requiruntur. Sed imperium difficile suscepit multis in rebus conturbatum, et quod est difficilius egenum. Itaque distrahitur tanto rerum turbine ac varietate, ut neque sibi, neque amicis vacare queat. Me certe diligit, et in primis honorat, carumque habet: verum utor modeste hac licentia. Credo declinabit a moribus multorum, quibus carior pecunia, quam virtus fuit. Principia

(1) Anni 1447.

(2) Loquitur de Nicolao V, qui Pontifex electus fuit die sexta Martii eiusdem anni, et in Pontificatum Eugenio IV successit.

quidem sunt optima, et ut spero, non erit alienus a priori vita: quamvis difficillimum sit in principatu servare modum, et amicorum priorum meminisse. Sed hic superabit difficultates omnes, et partas virtutes bonis operibus illustrabit. De te autem miror, cum sis vir doctissimus, te quietem appetere, quam recusares, si ultro afferetur tibi, et id quod petis, non quietis alicujus, sed laborum initium esset. Id inter laborem et laborem interest, quod ille videtur levior, qui cum majori emolumento datur et cum aliqua dignitate. Sed cum multa a Pontifice sint concedenda, plures sunt operarii, quam ferat conditio messis. De legato quod scribis, erit mihi cura: sed nihil dum actum est, et an futurum sit dubito. Tempora consilium dabunt; ego intentus ero, ut satisfaciam desiderio tuo, si facultas adfuerit, sed certus sum te mutaturum consilia peregrinandi. Audivi te uxorem, quod Deus bene vertat, coepisse: communices, oro, cum ea, hanc tuam voluptatem, et an in ea persistas rescribas velim: scio deterrebit te ab omni cura abeundi: cum illam duxeris, intelliges officium domesticum esse caeteris officiis praeferendum. Vale, et me ama. Romae die VI Maii (1).

(1) Anno 1447

EPISTOLA XVIII.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo suo.

Novit Dominicus tuus imminere mihi quotidie varias res scribendi necessitatem. Qui labor adeo mihi jam molestus est, ut eum effugiam quoad possum: hoc causae est ut et tibi et reliquis tardius et brevius respondeam, quam consuevi. Jam enim quietem appeto, cum videantur etiam, quae antea levia existimabam, esse gravissima, quod et aetatis vitium est. ego factus sum tardiusculus paulo quam soleam. Tuae litterae fuerunt jucundissimae, mihique summe placuerunt, eo excepto, quod nimium commoraris in laudibus meis. Et credo id abs te factum, ut viderem, quid in laudando posses. Ego, mi Bartholomaee, me ipsum plane novi, et quam parum dicendo possim quotidie experior, cum saepius periculum faciundum sit. Scribo aliquid, cum est ocium, non tantum fisus meis viribus, quantum inscitia multorum, quorum judicium quam ineptum sit video. Hanc ipsam ad Pontificem orationem (1) potuissem

(1) Hanc scripsit Poggius orationem cum Nicolaus quintus in solium Pontificium ascenderet. Amicissimus Poggii comesque studiorum antea fuerat, quamobrem multa in scribendo libertate usus est; et dum laudes omnes illius insignis viri enarrat, enumerat pariter, eique memorat singulatim gravissima onera, quae in nova excelsaque dignitate sibi erant assumenda. Atque tanta in illo sermone eloquentiae vis, sententiarum gravitas, tantumque doctrinae magisterium effulsit, ut novus Pontifex, non solum se offensum non credidit, sed manifesta aextimationis amorisque sui erga auctorem signa dedit, adeo ut ipsi Poggio scribendum fuit. Optimi sanctique viri Nicolai quinti Summi

ornare uberius, si apud alium dicendum fuisset. Sed cum hic noster noverit jamdudum me assentatoribus infensum, nolui committere, ut possem argui ejus vitii, a quo semper fui alienus, ne in quo alios reprehendam, ipse videar culpandus. Suppetebant etiam multarum rerum exempla, quae orationi ornamentum attulissent; sed longitudinem, et fastidium vitavi. Verumtamen qualiscumque est, si tibi et doctis viris placet, est ut gaudeam me eum laborem suscepisse, qui esset futurus legentibus non ingratus. Vale, et saluta meis verbis Carolum nostrum. Romae Kalendis Junii (1): manu festina, et somni vitandi causa. Tuus Dominicus valet.

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit Reverendissimo in Christo Patri et domino mei amantissimo Domino Dalmatio Archiepiscopo Cesaraugustanensi.

Expectavi diutius, pater optime, munus, quod tua liberalitas mihi per litteras pollicitaverat. Percontabar vero quotidie a viro optimo Petro Ayama; et quando vehiculum hoc, et adeo saepe aliquando, ut forsan molestus essem: dicebam enim me in vita, non post obitum mulam optare.

Pontificis beneficentia id effecit, ut jam querelae temporum sint praeterenndae, atque in gratiam aliquando cum fortuna videar rediisse ». — Poggii Opera pag. 32 in prooemio historiae discept. livae convivalis.

(1) Anni 1447

Non existimes autem me ita esse inopem, ut mihi ipsi de meo parare nequeam, quod postulavi. Sed scis gratiora esse quae dantur ab amicis, quam quae comparantur pecunia multis ex causis, sed illud in primis quod benivolentiam recognoscimus, et gratum dantis animum comprobamus. Petrus autem tuus munus dedit mihi, quod et si gratum fuit, tamen gratius, quod petiveram, fuisset futurum. Hoc, quod egisti, signum boni viri et liberalis fuit: quod postulaveram, majoris benivolentiae indicium, et affectionis praecipuae comprobatio extitisset. Neque tamen diffido, cum tempus nactus eris, te desiderio meo satis esse facturum. Ut enim ad te scripseram, senectus jam incipit esse gravis: cupio vehi molliter, et mihi semel saltem in anno Florentiam proficiscendum est. Itaque inter tuas curas, et hanc adjce, cum facultas erit. Sed haec hactenus. Volo plus valeat tua liberalitas, quam mea petitio. Pontificem habemus virum optimum ac santissimum, ab omni vitio alienum, doctissimum vero inter omnes quos noverim in omni genere litterarum; mihi autem amicus est jam viginti annis elapsis. Itaque nunc in primis me diligit, et summam affectionem ostentat. Cum responderem litteris, quas ad eum prudenter scripsisti, locutus sum secum de te diligenter, quae visus sum ad honorem et dignitatem tuam pertinere: ea libenter audivit, et fidem praestitit verbis. Ego tuus sum, et tui memorem, cum videro tempus, quo possim tibi satisfacere, hoc est meo in te amori.

polliceor futurum. Transtuli ad nostros Graecum Xenophontem de vita Cyri, in quo optimus describitur princeps, opus excellens, et plurimi aestimandum. Hortabor Petrum, ut illum tibi faciat transcribi, vel ego ipse dabo operam, quo mula excitetur a somno. Vale mi suavissime pater. Haec manu mea scripsi praeter consuetudinem: ideo fui brevior. Romae die XXVII. Julii (1). Cum tibi commodum erit, rescribas oro, ut tecum loquar absente, posteaquam nequeo praesens.

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit Petro Thomasio V. C.

Fui tardior quam ferat amicitia nostra in rescribendo tuis litteris, tum occupationibus permultis, tum etiam taedio quodam scribendi. Scribo enim quotidie, tum publica, tum privata, et cudo aliquid in communem nostrorum studiorum utilitatem. Edidi nuper oratiunculam contra infelicem, quam ad te mittam, cum primum nactus ero fidum aliquem, cui recte committi possit. Nunc adversus hypocritas calamum sumpsi ad exagitandam ejusmodi hominum perversitatem. Itaque ejusmodi occupationes distrahunt ab officio litterarum. Nunc praeterita negligentia resarcienda est. Recepi a te primo libellum, quem ad me misisti in laudem Pontificis summa gravitate sententiarum, et ver-

(1) Anni 14..

borum ornatu conscriptum, qui mihi admodum placuit, tum quia ab homine mihi amicissimo proficiscitur, tum quia ejus laudem continet, qui est mihi omnium carissimus. Alteras litteras accepi cum epistola Philelfi, quibus non fuit magnopere respondendum; non quod illas contemnam, sed quia ea continent, quae in tempore agenda sunt: neque cito possunt absolvi cum sint non levia, sed quae majores vires requirant: tamen adhibita est a me diligentia, et amici officio satisfactum. Tertia epistola mihi reddita fuit nudiusquartus, in qua narras te pro me fidei sponsorem fuisse filio magistri Pauli nostri, quae res mihi summam attulit voluptatem. Addidisti nostrae benivolentiae vinculum quoddam sanctioris amoris, in quo ago tibi gratias, approboque quod meo nomine egisti, et compatrem commatremque verbis meis salvere jube. Vellem tulissent tempora, ut adesse potuissem: fuisset profecto jucundior utrique nostrum haec amoris et fidei cumulatio, et ipse aspectus sermoque noster jucunditatem incredibilem attulisset. Sed haec satis ad praesens. Vale, et mei memor. Romae die XI. Novembris (1).

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Facio V. C.

Scribis in epistola, quae mihi nudiustertius reddita est, ternas jam post Nicolai Pontificis

(1) Anni 1447.

assumptionem litteras ad me dedisse. Ego unicas tantum habui, quibus e vestigio respondi. Si vero saepius ad te non scripsi, tribuas occupationibus meis, et privatis et publicis, quae me admodum distrahunt, et ut plurimum in scribendo consumuntur. Laudas multis verbis Xenophontem meum, quem ad manus tuas Antoniique nostri viri excellentissimi dicis pervenisse. Est mihi gratum probari opus, a vobis praesertim doctissimis viris, Sed vereor, ne vester in me amor librum efficiat gratiorem. Scis enim quae ab amico proficiscuntur spetiosiora videri solere. Sed praeclarus est auctor, qui, ut scribit Cicero noster, librum suum edidit non ad veritatem historiae, sed ad normam justi imperii. Est enim in Xenophonte institutus rex, qualis nunquam fuit, quemadmodum sapiens Stoicorum, qui adhuc nusquam est repertus. Si tamen traductio placet vobis, est ut sperem ab reliquis non reprobari. Quod vero scribis detractum esse operi apud regem, intelligo quos designes; sed omnis ea mea est culpa, qui librum in ejus nomen edidi qui in eo judicando magis aliorum, quam suo judicio staret. Fama hominum me decepit extollentium illius principis doctrinam. At, ut video, in probandis ingeniis non sua, sed caeterorum sententia et vocibus, quod imperito cuique accidit, movetur. Nullum est in eo bonorum aut malorum, ut video, discrimen. Ad ostentationem quaedam facit, quibus videatur doctis viris favere. Sed ego librum edidi, quem non indocti, rudes, improbi, perniliosi, sed ingenio,

doctrina, virtute praediti judicarent. Horum ego sententiam magni existimo; aliorum qui vitam funestam, flagitiosam, turpem ducunt, licet sibi docti videantur, verba strepitibus asinorum similia esse arbitror ducenda. Verum sentiant omnes ut libet, ego quod potui expressi in communem utilitatem. Si quibus id non satisfacit, ipsi edant meliora, neque latrando, ut inermes caniculi tempus absumant. Mihi tamen credas velim, si res mihi esset integra virum deligerem, qui stultorum vocibus minime moveretur. At ego in eo, quod potero, mihi ipsi prospiciam, ostendamque si vixero, me magis aliorum ductum erroribus, quam ex animi sententia non recte sensisse. Quod de Antonio nostro Panormyta asseris mihi esse amicissimum, id quidem jamdudum perspectum est mihi: sensi enim semper me ab eo amari, et ego illum ut virum nostrae aetatis doctissimum semper observavi, quem verbis meis salutes oro. Vale, et me ama. Romae die XXIIII. Novembris (1).

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit insigni viro Gaspari Imperiali Cancellario.

Si vales bene est, ego quidem valeo. Dici non potest, vir praestantissime, quam gratae

(1) Anni 1447

mihi fuerint litterae a te scriptae summa cum humanitate pro causa reverendi patris Electi Fresingensis fratris tui: hoc mihi prae caeteris jucundum fuit, quia video dignitatem, quae est in te amplissima, non abstulisse, ut multis solet, memoriam amicorum. Est id quidem prudentis animi atque ingenui meminisse eorum, qui nos diligunt. Oblivio in magnis viris, quod turpissimum est, solet regnare, tua vero humanitas non solum non oblita est Poggii sui, sed ut videor amorem auxit: nihil est amantius tuis litteris, nihil officiosius, nihil gratius, in quibus ita amice ad me scribis, ut me tibi ex eis plurimum debere profitear. Ego si quid hactenus egi, quod in rem tuam esset, laetor meum beneficiolum optime collocasse. Id re parum fuit; affectione tamen et benivolentia singulare. Nunc vero redit ad te nuntius cum novis litteris Pontificis, in quibus adhibui summam solicitudinem et studium more meo. In his enim, quae mei arbitrii sunt, meus labor versari potest, inque eis operam meam polliceor; reliqua a majoribus, et iis, qui quod volunt possunt, quaeras licet. Ego quod mei officii esse arbitror, offero tibi in solicitando diligentiam, studium in prosequendo, in agendo curam, amorem in perficiendo; haec ita prompta tibi a me erunt, ut nullum tui amantiorem in Curia, quam Poggium esse cognoscas. Sanctissimus Dominus noster Papa libenter concessit litteras ob charitatem praecipuam, quam ad te gerit propter merita erga ecclesiam tua, et est dispositus adhibere omnem

favorem possibilem circa hanc materiam, et conservare prout scribit acta per suum praedecessorem. Vale, et mei memor. Romae die XX. Februarii (1).

EPISTOLA XXIII.

Poggius pl. sal. dicit insigni viro Antonio Panormytae.

Vir doctissimus, ac utrique nostrum amicissimus Johanne Aurispa reddidit mihi litteras tuas, quas summa legi cum voluptate, tum quia a te erant, tum quia plusculum in meis laudibus versabantur. Scis enim sapidiores omnibus esse alaudarum carnes, praesertim cum a bonis pascuis proficiscuntur. Solent dicere Romani, cum quis eos praeter modum laudibus extulit, scire se illum mentiri; sed tamen placere sibi laudantis verba. Id idem a me tibi dictum puta. Non aspernor laudes tuas, cum a doctissimo prodeant viro: nam qui me non norit, fidem praestabit laudibus tuis; et tamen quam verae sint ipse satis cognosco. Vellem ut digne illud opus laudari posset. Ego quod potui contuli in communem utilitatem. Non est ea eloquentia, quae forsan in rebus propriis posset exprimi. Quoniam difficile est dicentis seriem vertere, aut traducere in nostrum morem, quod vario ambitu et verborum, et sententiarum

(1) Anni 1448.

profertur a Graecis. Credo tamen a vero judice potius gratias, quam invidiam aut detractionem mereri. In uno tantum fateor errorem meum. Ea prooemii culpa est non recte, ut videor, locati: sed si res esset integra, forsan sapientius apud gratiorem beneficium collocarem. Sed haec hactenus. Ego, mi Antoni, ago tibi gratias pro tuis litteris, in quibus meum laborem accumulatissime commendas. De his, quos magis livor quam ratio, et boni viri officium movet, nulla mihi cura est. Non enim unius, aut alterius, in quibus et nulla inest auctoritas, et inconsiderata superest dicacitas detrahendi, sed doctissimorum virorum judicium probandum videtur. Horum sententiam pertimesco, aliorum stultitiam contemno. Quid enim recte potest sentire, qui, quod sentiat, ignoret? Ego pluris tuum et Facii nostri judicium facio, quam eorum, quorum verba vulgi loco sunt ponderanda. Edidi quatuor libros de varietate fortunae (1), in quibus multa sunt cognitione digna: in his extuli paulum dicendi genus, quod, ni fallor, non est inferius quibusdam, quos legimus pro bonis. Mitto ad te illius prooemium, librum vero cum facultas erit. Vale, et me ut consuesti, ama (2).

(1) Etiam hoc Poggii opus formam habet dialoghi. Auctor ipse et Antonius Luscus, illius temporis vir doctissimus, interloquuntur. Finis moralis hujus operis est, ab historia edoceri rerum humanarum caducitatem, ut multorum superbia et nimis effrena dominandi libido reprimatur. Inter varia Poggii scripta hoc forsan supereminet omnia, tum propter sublimioris philosophiae praecepta, quae passim in illo leguntur, tum propter vivacitatem veritatemque, qua Italiae vicissitudines, decimoquarto saeculo abeunte ac decimoquinto ineunte, narrantur.

(2) Anno eodem 1448.

EPISTOLA XXIV.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Facio V. C.

Delectarunt me mirum in modum litterae, quas pridem a te accepi summa cum gravitate, et verborum, et sententiarum scriptas. Id vero mihi jucundissimum fuit, quod quotidie magis prospicio amorem in me tuum, quem ego tanti facio, ut illum omnium principantium benivolentiae judicem esse praeferendum. Disputas ferendam, contemnendamque esse stultitiam nonnullorum, quorum opera maxime consumitur in detrahendo, et recte quidem sentis: Sed principum non solum ferenda, sed declinanda est, cum sit pernitiosior, et majori damno conjuncta: nihil est stultitia, mihi crede, perversius, quae omne rectum judicium adimit, et ubi potestati conjuncta est, in omne facinus erumpit. Sed ego caeteris stultior meo merito judicari possum, qui parum providens fui in diligendo homine, qui stultorum vocibus magis, quam veri testimonio moveretur. Rumor, et multorum verba, qui videbantur sapere me impulerunt, ut eorum voluntatem praeferrem opinioni meae. Gaudeo tamen mea conscientia, et recte fecisse magna consolatio est. Fero apud doctos ingenii et laboris satis egregium praemium, cum suis laudibus ornant opus nostrum. Si rudes atque ignari illiberales sunt, haud quaquam mirum videri debet: non est enim cujusque

recte sapere, neque virtus aut sapientia sequitur domicilia potentiorum. Tibi quid sperandum sit vides edoctus exemplo meo; pessima res est ingratitudo, et omnium vitiorum altrix, neque ulla in eo virtus esse potest, in quo id vitium regnet. Itaque si vixero, utemur palinodia, cum tempus erit. Vale, et me, ut facis, ama. Romae III. Kalendas Martias (1).

EPISTOLA XXV.

Poggius insigni, et illustri principi Johanni Vayvode Regni Hungariae Gubernatori pl. sal. dicit.

Quamvis ipsa fama, et sermone hominum multa intellexerim de tuis virtutibus, deque rebus praeclarissime gestis, ac singulari prudentia in gerendis bellis; tamen Reverendus pater Episcopus Coronensis, quo cum mihi summa est amicitia, deinde egregius vir Nicolaus Decanus Cracoviensis, quo cum est mihi vitae consuetudo et benivolentia non vulgaris, an vera essent quae intellexeram percontati, multo ampliora illa esse dixerunt, quam ferrentur fama: et simul singulatim recenserunt, quotiens fusi, ac fugati a te hostes fuerint, profligatae Teucrorum acies, exercitus caesi, quotiens praeliis, quotiens justa acie illorum vires attriveris, quotiens victricia signa magna cum hostium strage reportaris: multa in-

(1) Anni 1448.

super oppida, plures provincias, gentes plurimas ex hostibus captas a te, et in fidem fuisse receptas, animum quoque excelsum, atque egregium exposuere, et plenum roboris ac firmitatis, quem quotidie ostendis ad conterendam Teucrorum perfidiam. Nullo enim labore, nullis negotiis, nullis vigiliis, nullis incommodis terreri, quin semper aut agas, aut cogites, quae spectant ad illorum oppressionem. Addidit uterque singularem prudentiam, admirabilem humanitatem, praecipuam rei militaris scientiam, etiam saepius spectatam, promissorum, et conventorum fidem. Denique plurimus sermo noster fuit summa cum animi voluptate in tuarum rerum commemoratione, quae adeo amplae, magnificaeque sunt, ut mereantur meo judicio gloriam sempiternam. Enim vero recte considerantibus non vulgaria, sed ardua haec videri debent, maximique animi opera, ac digna, quae cum antiquorum ducum atque imperatorum, quos prisci scriptores commendant, virtutibus et rebus gestis debeant comparari. Nam si bellorum varietatem, commissa certamina, robustissimos exercitus a te profligatos, si caesorum hostium numerum, si receptas ac restitutas gentes consideres, nullas profecto reperies jam pluribus saeculis res bello gestas, quae tuis aequandae esse videantur; sed tantum superari a tuis, quantum in re magis pia, salutari Christi fidelibus, Deo grata tua virtus et opera versatae reperiuntur. Nam multorum principantium industriam in sanguine effundendo fidelium occupatam

videmus; tuam in salute Christianorum, et infidelium oppressione. Alii bello adversus Christicolas gerendo tempus et vires terunt; tu pugnas contra hostes Crucis Christi. Aliorum opes ad debilitandam Christianorum potentiam impenduntur, tuae ad augendam, et corroborandam. Illi Christicolarum sanguinem, nefarium dictu! exauriunt; tu ne a perfidis exauriatur obsistis. Illi fidelium agros urbesque populantur; tu a populatione infidelium prohibes, ac tutaris. Denique alii via perversa gloriam armis impiis quaerunt in ea expeditione, in qua sempiterna versatur infamia; tua in ea causa exercentur arma, ex qua omnium gentium ac populorum laudem adeptam videmus. Quid enim gloriosius esse potest, quam bellum suscipere adversus hostes Fidei pro fidelium defensione? Quid laudabilius, quam vexillo Crucis, in qua salvati, et liberati sumus, propagare Fidem, et Dei populum a Pharaonis faucibus liberare? Quid Deo acceptius, quam propagare suam religionem, et impietatem crudelitatemque hostium suorum a Fidelium cervicibus propulsare? Quid autem scelestius, quid iniquius, quam perversa cupiditate et ambitione prava dominandi inferre infanda arma fidelibus? quid turpius, quam in ea expedictione versari, ex qua apud Deum et homines dedecus et ignominia oriatur? quid vero sceleratius, quam iniquis atque injustis bellis laetari? quid Deo odibilius, quam effundere sanguinem innocentum? quam fidelium non solum corpora, sed animas perditum ire in sathanae sacrificium detestandum?

Non fidelis, aut Christiani principis, non boni viri, non justi hoc opus est: sed Dei, ac Christianae religionis hostis perfidi, atque hominis nequam et facinorosi. Quid enim aliud Teucri, Tartari, Saraceni, raptores aut praedones agunt, quid aliud intendunt, nisi ut Christianos spolient, discrucient, vendant, in servitutem adducant? ut dominentur, ut eos suae ditioni subdant, ut imperium per aliorum injurias et calamitatem in varias provincias diffundant? At illorum justior quaedam videtur causa contra nos arma ferendi, quam ulli principi Christiano. Illi enim adversus non suae sectae viros bellantur, isti adversus ejusdem socios et cultores. Illi, quod eorum leges jubent, arma vertunt adversus alienae religionis gentem; isti contra Dei praecepta mutuis ac intestinis caedibus contra suae religionis homines crassantur. Illi fidem suam licet falsam augere satagunt; isti nostram utramque delere nituntur, et eos contra armis decertant, quos scelus est nefarium, nisi justissima probatissimaque ac divinis legibus permissa causa lacessere bello. Nam qui ambitione dominandi, qui imperandi cupiditate, qui immoderato eminendi appetitu aliena per vim et arma quaerunt, hos non principes, sed nefarios praedones, non reges, sed infandos tyramnos, non fideles, sed Dei hostes perfidos habendos esse, sapientes volunt; et quidem Teucris sunt deteriores. Illi enim quos coeperunt tuentur, ac protegunt, salvosque esse volunt; isti veluti canes rabidi spoliant, trucidant, diripiunt, et miserrima

fficiunt calamitate. At illi adeptum in nostros imperium justius exercere videntur, atque humanius, quam quidam ex principibus, qui se fideles appellant, ut praestet subesse, ac servire illis, quam apud istos liberos esse; quo magis tua virtus laudem prae caeteris terrae principibus meretur, cujus omnis mens, cogitatio, consilium, opera, in fidei augmento, in pauperum, oppressorumque fidelium tutela, in hostium fidei extirpatione collocantur. Scriberem plura de gestis tuis, si ea mihi nota essent, cum nomen immortale mereri videantur. Sed tuae diligentiae erit dare operam, ut ea mihi innotescant per alicujus scripta, quae illa contineant singulatim. Ego postmodum enitar, ut posterorum memoriae demandentur; et quo amplior detur scribendi facultas, prosequere hoc incoeptum tuum, et omnes tuas curas, vires, consilia, opes confer in hanc futuram expeditionem, in qua tibi aeterna gloria praeparata est. Habes vires, habes animum, habes facultatem, habes Deum adjutorem, qui tibi aderit, et ut dedit animum ut inciperes, ita ut perficias opes et subsidia ministrabit. Tu velis hoc mortale tempus et labile tua virtute stabile reddere et immortale, et eam esse veram gloriam existima, quam consequimur ex operibus virtuosis, et quae bonorum virorum consensu, laude, vocibus comprobantur. Nam qui alia via illam quaerunt, et magis voluntatem passionemque, quam rationem, aut honestatem suorum operum ducem habent, pro laude vituperationem, pro

fama infamiam, pro gloria sempiternam ignominiam consequuntur. Romae die IV Aprilis 1448.

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit Petro Thomasio V. C.

[1] Dici non potest, mi Petre carissime, quam me delectarit epistola tua, quam unico, ut ajunt, spiritu, summa cum voluptate legi, quamvis esset longiuscula. Quod partitionem meam librorum Xenophontis nostri culpas, est mihi gratum; loqueris enim, quod maxime amicitia postulat, ex animi sententia: sed id perparvum est, et leve erratum. Nihil enim detrahitur, neque veritati rerum, neque auctoris dignitati, quin potius addi videtur. Nam cum multa brevius a me, quam Graece sint scripta dicantur, quidam autem libri ita parvi sint, ut potius appendicula quaedam, aut adnotationes aliorum, quam libri esse videantur; inconcinnum visum fuisset tantam librorum fuisse disparitatem, ut unus veluti gigas, alter pigmeus videretur. Etenim penes unumquemque scriptorum nostrorum paritatem librorum servatam scimus, et ejus rei testes esse permultos. Quod vero id factitatum non esse dicis, lege Therentium auctorem, non contemnendum, qui ex duabus Menandri unam fabulam, se id testante, contexuit. Sed in hoc, quod forsan arrogans videatur, malo meae, quam aliorum sententiae stare. Quod miraris librum non esse traductum

hactenus, non inscitia, aut tarditas ingeniorum, sed labor causa extitit, cur multi praestantes viri nollent id opus aggredi. Haud parva est enim difficultas rem ita ad nostrum usum vertere, ut legi a doctis possit. Non mihi tantum arrogo, ut me dicam rectius quam alios traduxisse; sed neque derogo labori meo, qui non sensim, ut multi, auctorem sim secutus; sed historiam scripserim, ut absque fastidio legi queat. Carolum Arretinum virum nostrae aetatis doctissimum scriptum est mihi dixisse, laudare se licentiam, quam sumpserim in traducendo, aliter enim res quaedam inepta satis fuisset. De principe ad quem scribitur, quod ais, aliis in litteris quas ad te nondum misi, causa redditur ejus inscriptionis, et quas adhuc compressi veritus malitiam multorum, qui odio bonos habent; et principes fere omnes plus detractoribus, quam ratio ferat, aures et assensum praebent; sed tamen cito edentur. Compendium tuum, quod elegans est, quidam in principio operis addi cupiunt; non est meum praescribere aliis, quid sint acturi: sed multa exemplaria emanarunt ad Gallias, ad Hispanias, ad Italos absque hac annotatione. Ego summe laudo illam, sed rectius in fine, si qui velint, libri, quam in principio, meo judicio, collocaretur. Tu tamen ut libet adscribas. Scripseram jamdudum has litteras, sed oblivione factum est, quominus destinarentur; litterae, quas hodie a te accepi, illarum jam obliteratam memoriam ingesserunt. Tuis non respondeo, nisi mihi admodum placere quod Xenophon

a viris doctis laudatur, ut operam meam non periisse maximae sit consolationi. Tu vale, mi Petre, et me ama. Romae X Kalendas Junias (1).

EPISTOLA XXVII.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo de Bucino.

Dominicus tuus novit quantae sint meae in scribendo occupationes, quamque aliquando molestae, et cum esse cessant, dandum est aliquid litteris, quieti quoque et remissioni: id enim aetas requirit saepius indulgendum. Itaque si tuis litteris non respondi hactenus, ne mireris, nunc calamum sumpsi, ut paucis satisfaciam mihi. Consolatus sum admodum in tuis binis litteris, quibus scribis commendari opus meum Xenophontis, laudarique a doctis viris. Sed mihi fuit jucundum prae caeteris sententia Caroli, cujus ego opinionem omnibus aliorum sententiis praepono. Vir maximi ingenii, elegantisque doctrinae, ut de eloquentia sileam, quae est in eo singularis; acri judicio est, et quod vere laudat, procul dubio est laudabile. Itaque contentus suo judicio, nihil amplius requiro, et me aliquid Latinis profecisse existimo ejus sententiae confirmatus. Detractores contemno latrantes tantum in triviis, neque quicquam boni ad usum mortalium afferentes, ipsi sibi indulgeant, et corrodendo veluti sorices aetatem agant. Ego

(1) Anni 1448

aliud opus aggressus sum, si vires suppetent: accumulabo aliquo alio munere Latinas Musas. Sed duo mihi desunt ad scribendum maxime necessaria, ocium, et vacatio a curis. Vale, et me ama. Romae VI. Idus Junias (1).

EPISTOLA XXVIII.

Poggius pl. sal. dicit viro praestantissimo Carolo Arretino.

Gratissimae fuerunt mihi litterae, quibus Abbatem tuum commendas mihi, cui ego omnem meam operam, curam, studium, diligentiam sum pollicitus, modo quid sit, in quo ei possim pro mea voluntate satisfacere. Filiolam tibi natam esse, Deum rogo ut tibi sit consolationi, ac voluptati. Ego quoque in fine Septembris, vel masculinum, vel foemellam, prout Deo nostro placuerit, sum habiturus: utrum erit, agam gratias Altissimo, qui, quod profuturum sit novit, et adhuc recte consuluit rebus meis, nihilque est, in quo non mihi ab eo abunde satisfactum putem, praeterquam, quod me in patria omnium molestissima, ac laborum et sudoris plena nasci voluit. Mirum est, et dolendum me jam annis quatuor et quadraginta multis in locis summo cum labore animi et corporis versatum. Scytham in extremo tempore effectum esse, ut incertus sim, ubi sit senectutis

(1) Anno 1438.

quies futura. Videmus in diem incertiora fieri omnia, praeterquam iniqui census praestationem, in qua nulla aequitas, nullus modus, nulla honestas servatur. Video praeterea nostros neque pacis neque belli rationem habere, sed utriusque ignorare modum, dum omnes non publicae, sed privatae rei consultum eunt. Vellem vita mutari, si non hoc bellum, si mentem intendere voluissent, vel certa pace, vel victrici praelio jamdadum finisset. Sed intestina dissensio ne in extremo quidem discrimine resipiscit. Miror tantam ignaviam, ne dicam stultitiam, in tam ampla republica regnare diutius, disceptandoque tempus terere, et nostrorum militum vires verti in nostram desolationem. Tribuamus licet hoc tum fatis, quae impune licet culpare, tum Venetorum immoderatae dominandi cupiditati: qui si quid de ambitione et superbia detraxissent, jamdudum et Italia pace optata frueretur, et hic hostis olim evanuisset. Sed haec satis, et manu festina. Vale, mi Carole: hoc scripsi, ut litteris loquerer tecum, postquam verbis non datur. Ego hac aestate, nisi aer deterior fiat, Romae familiam tenebo. Romae Idus Junias (1).

(1) Anno 14[illegible]

EPISTOLA XXIX.

Poggius pl. sal. dicit Ricardo suo.

Si vales, bene est; ego quidem valeo. Epistola, quam pridie a te accepi, intellexi meas litteras aliquid tibi profuisse, et te jam vitae prioris pertaesum, mores ad virtutis normam componere; ac jam cogitare, quid aetas, quid jam instans peregrinatio requirat. Gaudeo pro amore, quem semper ad te gessi, mentem tuam ad meliorem vivendi cursum conversam, de futura vita curam suscepisse. Et quidem rectissime facis, exuto veterum errorum lapsu novum hominem induere, virtutem, beneque vivendi rationem pluris facere, quam caetera, ad quae homines, veluti caeci, insano studio deferuntur. Virtus sola est, quae nos etiam mortuos comitetur, et participes faciat vitae beatae. Itaque prosequere, ut instituisti, et vitam felicem puta, quae sepositis animi morbis, ad honestum omni cura et diligentia contendit. Liber de rebus in die a me editus, est quartus eorum, quos conscripsi de varietate fortunae. Si totum opus habere cupis, dabo ordinem ut transcribatur, neque magna erit impensa, quam cures penes aliquem ex mensariis Curiae, si desideras librum. Quod scribis visum esse honestum executoris testamenti communis quondam domini, ut aliquid pro me servetur, haec ut video mera voluntas fuit, neque ulterius progressa est: hoc tantum velim dixisse,

melius id rectiusque quicquid futurum fuerit, apud Poggium collocatum fuisse, quam apud multos, qui neque famam, neque infamiam illi mortuo praebere possunt. Si ostendissent illi, ad quos spectat aliquid liberalitatis, fructum aliquem illius defuncti fama reportasset. Scis litteras esse, quae viros egregios non sinunt mori; nam omnia praeterita perpetua oblivione sepulta jacerent, nisi doctorum virorum beneficio in memoria hominum versarentur. Sed plures corpus, quam animum, et praesentem vitam, quam futuram curant. Paucorum est veram laudem appetere. Tu tamen cum illis loquere, ut libet: ego in ea re parvam spem habeo. Scis quae hactenus scripserim Cardinali viventi, et quam praedixerim, quae secuta sunt; sed nunquam credidi eum ita immemorem mei fore, cum ita saepe meas litteras legeret. Sedet nunc cum divitibus saeculi. Sciscitare an aliqua spes habenda sit, et vale mei memor; scribas mihi ubi moreris. Si tua bursaria mortua est, tu tamen vivis. Iterum vale. Expecto te in futuro Jubileo, ut labore itineris abluas praeterita. Romae die XII. Julii 1448.

EPISTOLA XXX.

Poggius pl. sal. dicit Petro Thomasio V. C.

Satis miror, mi Petre, cum in prooemio Xenophontis nostri monuerim lectores, ut favere magis quam detrahere nostro labori vellent, tamen

reperiri nonnullos, qui iniqua interpretatione, quae a me dicuntur carpentes, liberalis atque honestae exortationis oblivisci malint, quam parcere studio detrahendi. Id enim, quod actum est, praevidi, fore quosdam, qui quod imitari non possent, lacesserent obloquendo. Sed memor sententiae Ciceronis, qui ait, nil sapientem praestare debere praeter culpam, contentus mea conscientia, qui nihil scripserim in eo prooemio, quod merito posset argui, pluris faciam innocentiam meam, quam stultam illorum dicacitatem. Nulla enim ratione moventur, sed quadam calumniandi fiducia, quae semper a bonis viris est reprobata. Sed quid est per Deum Immortalem in illo prooemio, quod apud vel doctos, vel aequos judices mereatur correctionem? Numquid ego primus, qui principes etiam non bonos laudarim? Numquid primus, qui opus meum alicui inscripserim cum ejus amplitudine, et dignitate? Non est opus exemplis, quae permulta sunt in re manifesta. Lege poetas, Historicos, cujusvis generis scriptores, plures reperies in eorum laudibus, quibus sua scripta dicarunt, modum in laudando ultra illorum merita excessisse. Ipse Cicero multos in suis causis laudavit minime laudandos: nonnullos manifesti criminis reos defendit, quosdam cum laudasset, postmodum culpavit: alios cum antea improbasset, defendendo commendavit. Alter laudibus extulit Dyonysium tyramnum, Platonem vituperavit. Ita enim fert hominum natura, ut occultiora sint crimina, quam virtutes, propterea quod virtus in promptu habetur,

et si quid recte agimus commendari et celebrari plurium sermone volumus. Vitia non item deteguntur, sed tractantur occultius, et saepius sub alicujus virtutis aut justitiae velamento. Preterea boni qui habentur, facile ad vitia labi possunt, malis difficilior est aditus ad virtutem. Sed non ad laudes propensiores ipsa bene vivendi institutio debet efficere. Isti vero nescio qui curiosiores, quam ferat ratio, numquid laudandi libertatem, etiam servis concessam, pro suo arbitrio auferre scriptoribus volunt. Atqui credo sapientis extitisset viri non commendare eum ad quem librum eram missurus. Nam cum mihi princeps quisquam deligendus esset, ad quem boni principis gesta destinarentur, erravi forsan in selectione hominis; sed nullum adhuc nosco, cui non desint multa, si ad quadram vitam hominis metiamur; sed fuerit error: at is quidem nulla mea culpa accidit, sed fama multa persaepe mentientis sermonis, non solum vulgo sparsi, sed prudentium virorum qui illum variis laudibus extollebant, et justum principem, perhumanum, liberalem, doctum, doctorumque hominum studiosum praedicabant. Motus sum fama, et verbis eorum quibus fidem habebam: steti non meo judicio, sed reliquorum: dixi quae aliqua ex parte vera credebam, nullus tunc error extitit; at exortus est posteaquam coepit esse hostis; Is non meis laudibus, sed illius ambitioni, et imperandi cupiditati est adscribendus. Atqui antea in ejus laudem edideram epistolam, ut mea opinio fert, admodum copiosam et a multis comprobatam:

quibus in rebus si modum excessi, morem tamen priscorum virorum eloquentium sum secutus, neque in eo, ut videor, culpam recognosco. At is postmodum inimicus patriae evasit. Id praeter opinionem cecidit, non solum meam, sed omnium, qui sapere videbantur. Multis in locis apud populum, et in senatu summis laudibus, atque honoribus extulit Octavium Cicero: at is postea hostis reipublicae factus Ciceronem Marco Antonio prodidit, rem omnibus saeculis detestandam. Non poteram divinare futura, quae procul ab omni ratione vidimus consecuta. Quis credidisset illum contra nos tam impia arma sumpturum? Erat tunc amicus, Florentinos omni benivolentia se amplecti ostentabat; nulla erat exorti belli suspicio, cum nulla esset causa cur oriretur. Videbatur tunc ornandus non solum propriis laudibus, sed etiam alienis. Nulla igitur nota inest prooemio, si paulo uberius laudes illius continere videtur. Sed quam iniqui suam illi expiscantur detractionem? Scribis, in quo illorum prudentiam requiro, me invitare principem illum ad vindicandum sibi imperium, violandamque rempublicam nostram. O vanos, ac perversos interpretes rerum! numquid horum aliquid, vel tenuissima suspitione, ex verbis prooemii quis expiscari, aut interpretari potest? Recense verba, et videbis quantum distent ab illorum sententia, vel potius praevaricatione. Sed quid a me dicitur? primum ad eum id opus scribi tanquam ad illum, qui Cyri vitam et gesta sit maxime imitatus! hic nulla belli cohortatio est, nulla

ne parva quidem significatio arma contra patriam sumendi. Nam si imitatus esset Cyri gesta, ab armis impiis abstinuisset. Scripsi insuper parem esse utriusque virtutem: at nullum virtus ad mala facinora impellit; neminem ad iniqua hortatur bella; nemini non recte agendi causam subministrat. Addidi praeterea eum liberalitatem, justitiam, humanitatem, reliquasque animi dotes suas in Cyro legendo recognoscentem, corroboraturum se in illis, ac consideraturum quantum boni virtus imperantis mortalibus ferat. Et haec gravissima est sententia, et virtutis incitamentum, ut pie, juste, sancte, et cum virtute vivat. Dico etiam multarum gentium rempublicam suae sapientiae creditam, si ita egerit, beatam fore. Neque hoc quoque ad aliena occupanda, aut ad aliquod scelus hortatur; sed monet, ut talem se praebeat, qualem requirit optimi imperantis officium. Unde igitur isti nimium perspicaces, aut crassi potius ingenii (ita enim in tanta perversitate dicendum est) eliciunt, vel somniant potius a me esse ad bellum inferendum nobis illum principem irritatum? Atqui, si reliqua mea scripta norint, me satis apertum in dicendo perspicient, sive laudes cujusquam, sive vituperationes velim complecti, ut parva interpretatio sit necessaria ad eliciendam sententiam verborum meorum. Misi Xenophontem Florentiam, plures illum viderunt, nemo inventus est, cui in mentem veniret belli, quod nobis infertur, meum prooemium causam praebuisse. Et tamen non habentur Florentini durioris ingenii, non pinguioris

minervae quam reliqui. Quis enim tam praeceps esset ad judicandum, tam tardi sensus, tam somnolenti, ut crederet a me hostem patriae contra nos incitatum? Aut illum meo libro permotum tantum bellum suscepisse? Aliis rebus, aliis de causis ductus est: magis eum impulit ambitio, spes a nonnullis injecta, et tergiversatio ac tarditas, quorumdamque inanis exortatio ad dominandi cupiditatem, quam prooemium meum, in quo nulla, nisi de boni viri officio, et virtute fit mentio. Magna est profecto istorum, nescio quorum, et nimis vana superstitio, qui quod expresse a me dicitur, se fingant nescire, quod non dicitur, allucinentur. Quomodo enim mea verba in eorum sententiam possunt induci? comparare hunc hominem Cyro, ad illius virtutum imitationem cohortatio est. Si enim dicta factaque Cyri advertet animo, intelliget Cyri sententiam esse: nullum justum fore bellum, nisi quod aut pro tutandis sociis injuste oppressis suscipiatur, aut pro injuriis propulsandis, quorum nihil in hoc nostro bello reperitur; sed illud a quodam dominandi impetu susceptum. Nam quod ais me non ausum nominare principem, vel verecundia, vel timore, non recte hariolantur, neque divinandi, ut video, artem callent. Utrumque enim falsum est. Nam et expressi nomen in libri titulo, ac prooemio, prout liber a me missus continet. Et postea non timore, neque pudore, sed odio et indignatione motus, quod videbam illum hostem palam factum patriae, et beneficium meum sentiebam me non recte, neque

penes gratum virum collocasse (nam benefacta male locata, malefacta sunt) nomen delevi ex caeteris exemplaribus, ut cuivis bono regi vel principi dicatum fuisse opus intelligere homines possint. Et ut videas quae de illo mea postmodum fuerit sententia, mitto tibi exemplar duarum epistolarum, quas Bartholomaeo Facio rerum suarum scriptori destinavi; et copiam insuper epistolae, quam scripsi nuper ad Joannem Vayvodam Hungarum, in qua non tantum nitor extollere qui bellum infidelibus inferant, quam detestari qui contra Christianos injusta causa bellantur. Illud vero ridiculum, quod existimant meis verbis reddi suspectum Pontificem, totamque Curiam, ne illi praesidia praestent, somnium quippe est prioribus simile. Non sum scrutatus, aut secutus Pontificis animum; sed eo inscio prooemium feci, neque hujus tempore, sed Eugenii, et ante hujus nostri assumptionem liber destinatus. Sed nunquam deerit non recte sentientibus occasio calumniandi. Nonne erubescunt suspicari, atque opponere, id futurum fuisse, quod aperte vident non esse factum? ut aut summa inscitia male interpretandi, aut iniquitas, et calumniandi studium in eorum verbis deprehendatur? Palam est enim omnibus, neque publice, neque clam illi aliquod a Pontifice auxilium in hoc bello subministratum; sed acta omnia, et quaesita, quae ad pacem et concordiam pertinerent. Sileant ergo, et detractioni parcant, qui aut nimis sapere, aut divinandi artem profiteri volunt, et legere, mandareque memoriae potius

meas monitiones studeant, quam quae a me recte dicuntur carpere. Quod vero suades, ut prooemium corrigam in hoc non obtemperabo tuo consilio, quod licet a bono animo intelligam proficisci, tamen neque rectum, neque honestum videtur. Nihil est enim in eo, quod a docto, et bono viro sit alienum, et id quoque si cuperem, sit impossibile, adeo jam apud multos liber diffusus est, quorum nullus adhuc fuit, qui aliquid ejusmodi sit suspicatus. Si cui id non placet, non legat; et perinde erit, ac si non esset. Partitionem non placere nonnullorum superstitioni non miror, cum etiam hodie quidam sint, quibus Cicero ipse displiceat. Si qui sint stomacho fastidiosiori astineant a cibo, qui appetitum sit turbaturus. Ego ut Lucilius olim a Cosentinis, et Tarentinis sua legi voluit, ita mea non ab istis delicatis, qui mediocria fastidiunt, tractari postulo, sed ab iis, qui sine nausea rusticiores dapes degustare sint soliti. Neque vero quemquam invitum ad legendum, quod non probet, compello. Ut noster Cicero inquit, sua cuique sponsa, mihi mea; legat quilibet quod probet, quod improbet, rejiciat. Voluntarios lectores postulo, inviti aliis vacent. Me mea inscitia contentum sinant. Hoc scias velim, me non solere moveri vocibus imperitorum, aut vulgi opinione mutare sententiam in eo, quod recte constitutum videtur. Doctorum virorum verbis, et monitioni parerem, eorum praesertim, qui ratione amicitiae ducerentur. Sed haec hactenus. Epistolam, quam significas, expecto; cum venerit

excipietur amice. Xenophontem, cum transcriptus erit, mittas oro ad peritissimum jurisconsultum dominum Franciscum de Arretio, qui est Ferrariae, vir quidem doctissimus omni genere doctrinae, et eloquentia singulari: ibi legit publice, et consiliarius Marchionis. Vale Romae (1).

EPISTOLA XXXI.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo V. C.

Laetor, mi Guarine jucundissime, placere tibi Xenophontem nostrum, et meum laborem, a te mea traductione comprobari. Nunc est, ut neque susceptae curae poeniteat, et existimem opus illud aliquo in pretio apud Italos fore, cum judicio viri aetatis nostrae Graecis Latinisque litteris doctissimi videam tantum laudibus efferri. Suspensus equidem eram animo, quae eruditissimorum virorum de meo ingenio existimatio esset futura; et cum scirem vitio hominum multos ad detrahendum paratos, in libro autem a me traducto, et verba, et sententias pensitatum iri ab iis, qui acriores in censura aliquando existunt, quam causa postulet; pendebam animo quorsum opinio hominum esset propensior, ad laudem, ne an vituperationem. Nunc tuo Franciscique nostri judicio et sententia confirmatus, et ipse quoque

(1) Haec et sequentes hujus libri epistolae, quibus omnino temporis nota deest, scriptae probabiliter fuerunt [illegible] a mense Augusti anni 1438 usque ad [illegible] anni.

existimare incipiam aliquid esse, quae a vobis commendantur. Quamvis enim multum a vobis tribui vestro in me amori sentiam, et quae re sunt tenuiora verbis extolli, tamen aliqua ex parte vos veritati arbitror testimonium ferre. Tuae vero laudes, mi Guarine, mihi jucundissimae sunt: quoniam ea laus pondus habet, et maximi aestimanda est, quae a bono laudatoque proficiscitur viro. Ii soli sciunt quid, et quatenus sit laudandum: caeterorum, et vulgi maxime quod raro recte sentit, levis est, et nullius aestimationis videtur digna, ut quae non suo pendeat arbitrio, sed alieno. Ego hunc librum aggressus sum olim, postquam Eugenius Pontifex ad Urbem rediit, hortante, atque impellente eo, quem nunc Pontificem habemus, virum, ut scis, omni litterarum genere praestantem. Dubitabam id onus sumere, quod videbam multos viros doctissimos neglexisse: sed sciens, quod labor omnia vincit improbus, et fortes a fortuna adjuvari, coepi rem, quae, ut verum fatear, praeter cogitationem evasit; et ut olim gratum Deo munus mulieris fuit, quae nummum in templo obtulit, cum amplius non daretur: itidem ego existimavi gratum fore nostris, si facultates meas proponerem, ex quibus qui cuperent, possent pro voluntate sumere. Verum haec hactenus. Ego tuis litteris confirmatus prosequar quod coepi; et quamvis multis premar curis, tamen conabor, aliquid Latinis litteris amplitudinis atque utilitatis conferre, et quoad potero, me posteris commendabo. Quod ad filium tuum per-

tinet, paternam curam, studium, et diligentiam praestabo. Obtuli Jacobo Leonessae quicquid in me erat favoris et auctoritatis: is cum tempus esset, meum auxilium imploraturum se dixit, cui nulla in re deero, modo sit quod perfici nostro opere possit. Romae.

EPISTOLA XXXII.

Poggius insigni viro Francisco Arretino Jurisconsulto pl. sal. dicit.

Non respondi, mi Francisce, prius tuis litteris, quibus significabas te Xenophontem recepisse, propterea quod persaepe stomachor ex continua scribendi occupatione. Sive enim publicis in rebus verser, sive in privatis, id omne negotium ferme in scribendo consumitur: quae res summam affert persaepe molestiam praesertim seni, qualem me esse fateri jam aetas jubet. Itaque tardiusculus in respondendo privatis epistolis evasi, et ut negligentiam meam cognoscas, saepius statui significare tibi hanc meam traductionem, et curam adhibitam, ut a Magistro Thomasio tibi redderetur. Sed tamen nunc oblivio, nunc occupationes, quae oblivionem augent, scribendi memoriam et tempus eripuerunt. Nunc paulum expergefactus sum litteris viri doctissimi praestantissimique Guarini nostri, qui te veluti buccinatorem mei nominis, et traductionis scribit; et ipse multa insuper addit in meam commendationem. Testatur sane opus id sibi

admodum placere, comprobatque sua sententia, quam ego gravissimam judico, et tanti facio, ut videar, neque operam, neque impensam, ut dicitur, me perdidisse. Opus certe luculentum est, si modo assecutus sum, ut absque nausea legi possit. Certe servata rerum gravitate effugi verbositatem, qua Graeci utplurimum referti sunt, et quoad potui, haesi orationi nostrae non ut interpres verborum, sed veluti historiae scriptor. Difficilis profecto labor mihi praesertim, qui parum eloquentia, minus ingenio possum, et multis occupationibus molestiisque impedior, ne virtus laudetur, et algeat. Ego, mi Francisce, plurimum gaudeo non displicere tibi laborem scribendi a me susceptum, et si vita suppetet, conabor prodesse litterarum studiosis in eo, quod facultas dabit. Coepi transferre aliud opus, quod si perfecero, confido te illum comprobaturum. Ammianum Marcellinum ego Latinis musis restitui, cum illum eruissem e bibliotecis, ne dicam ergastulis Germanorum. Cardinalis de Columna habet eum Codicem, quem portavi litteris antiquis, sed ita mendosum, ut nil corruptius esse possit. Nicolaus Nicolus illum manu sua transcripsit in chartis papyri; is est in bibliotheca Cosmi: potes agere cum Carolo Arretino, ut vel transcribi faciat tuo nomine, vel codicem mittat. Nam nisi a docto scribatur, non historia, sed somnium videretur. Vale, mi Francisce, et me ama. Romae.

EPISTOLA XXXIII.

Poggius Carolo suo Arretino pl. sal. dicit.

Audivi virum optimum patrem tuum diem suum obiisse. Credo id tibi molestum, tum propter jus naturae, tum communi consuetudine extitisse. At si caetera perspicias, et ea aetate defunctus est, in qua plus molestiae laborumque inesset, quam voluptatis, et ita semper vixit, ut quocumque decessisset tempore, bene secum actum esse putaretur. Non enim, ut tu optime nosti, vitae longitudo, quae tamen quantumcumque proteletur instar puncti habenda est, neque praesentem, neque futuram ullam effert felicitatem. Sed virtus, probitas, religio, integritas, aestimanda sunt, ut satis vixisse putandus sit, cui dono contigit, ut dies suos quicumque ii fuerint, in virtutis cursu collocarit. Cum vero parens tuus et ad decrepitam usque aetatem pervenerit, ut potius ei mors optanda, quam ulteriores anni essent appetendi, cum ita vixerit, ut et bona fortuna non defuisse, virtus vero superfuisse videatur, neque solum extremum actum sed totam fabulam recte confecerit: id tamen pietati, paternaeque charitati dandum est, quantum virtutis ratio requirit. Caetera rationis ignaro linquenda sunt, opinione enim stultorum non ratione sapientum, a qua longe abest, ducitur. Itaque nequaquam te in hoc parentis obitu consolabor, cum neque illi mali, neque quicquam tibi

acciderit novi; potius gratulandum censeo ita illum et vitam egisse, et extremum diem finisse, ut ex altero summam laudem, ex altero laborum et molestiarum finem assecutus sit, et honestae, beneque actae vitae praemium consecuturus. Sed sus minervam. Scio te ita hunc casum laturum, qui communis est omnibus, ut a te tua sapientia et doctrina requirit. Ego pro nostra amicitia his paucis ad te scripsi, ne me deesse tibi hoc in extremo omnium officio putares. Vale et me ama. Haec jam mense, ferme ut opinor, exacto cum ad te, domum noctu rediens, scripsissem, neque epistolam complicassem, conjeci forte inter quaedam alia scripta, mane illam ad te missurus: verum oblivione ductus cum nil me scripsisse meminissem, heri aliam rem quaerenti in manus incidit. Rubore paulum perfusus sum me adeo obliviosum esse factum in re praesertim, quae menti inhaerere debuisset. Sed vel aetatis culpa, vel taedio rerum, vel temporum molestia jam pro memoria subiit . . . . . . amnistia. Parces igitur, qui es humanissimus, tarditati, et mentis, et ingenii. Romae etc.

EPISTOLA XXXIV.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo V. C.

Nudius sextus in ipso articulo discessus mei familiam enim videre cupiebam, quae abest in patria natalis soli, et simul a sociis sollicitabar)

redditae mihi sunt litterae, quas esse putavi Francisci Marescalchi nostri, quas neque resignavi, neque legi, neque mecum detuli, ita equitandi tempus urgebat. Hodie postquam redii, resignavi litteras, legique perlibenter, postquam nomen tuum in primis animadverti. Facis amice, mi Guarine, qui eorum quae audisti me certiorem facis, ne qua simultas inter nos, et tam inveteratam amicitiam suboriri queat. Ego viro clarissimo Aldobrandino non dixi te carpere libellum meum, sed me audisse te in contrariam sententiam scribere. Dixi licere unicuique exercere ingenium dicendo, addidique me laudare, et te, et quicumque is esset, qui et doctrinam suam et eloquentiam ostenderet. Et id mihi gratum esse etiam in prooemio opusculi mei ostendi, sive in meam opinionem, sive in contrariam vellet scribere. Sed illud quoque subjunxi, si id in meam contumeliam fieret, aut detractionem nominis, me id aegre laturum, et si qua in re tangerer, responsurum: haec a me tantum prolata. Itaque, mi Guarine, minime feram moleste, si scribas quod sentis, salvo nostrae amicitiae jure, quam a te nullo modo violatum iri existimo. Ego in multis occupationibus subduco aliquando mihi tempus ad agendum aliquid, in quo et mihi et aliis possim prodesse. Id cupio gratum esse omnibus, et cum nihil ad gratiam, omnia, ut sentio, ad veritatem scribam, si cui hoc molestum est, is suas ineptias potius ostendit, quam stultitiam meam. Scio ea minime probari principibus, quibus veritas est parum

familiaris; et cum multi multis in virtutibus excellant, hac peste inficiuntur, ut veritatem libertatemque loquendi oderint, ubi de eorum morbis animi agatur. Sed ipsi de se viderint. Ego institutum meum servabo, ut verum, et ex sententia loquar, et quae doctis placere videantur. Te vero, mi Guarine, oro hortorque, ut cum sis vir doctissimus, et cujus auctoritas magna est, citius tuis moribus, et doctrinae morem geras, quam aliorum opinioni. Vale, et principi nostro optimo Leonello me majorem in modum commendes velim. Senis. 1442.?

EPISTOLA XXXV.

Poggius pl. sal. dicit Henrico Duci Visensi.

Si forte mirum tibi videbitur, princeps egregie, me hominem ignotum tibi, longeque remotum hanc veluti supervacaneam scribendi curam sumpsisse, id tribuas velim virtuti tuae, quae longe lateque diffusa me impulit, animumque praebuit, ut te ad id meis verbis hortarer, ad quod tua te sponte nullo impulsore video proficisci. Nam Ciceronis est sententia, tanti esse virtutem, ut ea praeditos, etiam quos nunquam vidimus, diligamus. Sicut autem ii, qui in stadio cursu contendunt, persaepe acclamantium vocibus excitantur, itidem ego mea cohortatione eventurum existimo, quamvis brevis futura sit, ut paulum te impellat, spiritusque adjiciat ad ea gesta prosequenda, quae

ultro egregia virtute animi, nullis hominum cohortationibus incepisti. Sunt maxime extollendi qui suo ingenio freti, prout tibi contigit, ad virtutum opera feruntur. Sed et ipsi quoque ampliorem laudem suam efficiunt, si non aspernentur, aut contemnant eorum consilia, quorum verbis ad virtutis perseverantiam commonentur. Audivi jamdudum a pluribus mihi familiaritate conjunctis Portugalliensibus, cum de tuis actis quaererem, te magnitudine quadam animi motum, et virtutis veluti stimulo incitatum cum certis triremibus per ultima maris Oceani navigasse litora, eoque progressum, quo nullum ex priscis, neque imperatorem, neque regem, aut audivimus, aut legimus penetrasse. Nam et Africae meridiem versus transisse terminos, et usque ad Ethiopes pervenisse tradunt: quae res non solum miranda est propter vastos Oceani maris impetus, exaestuantesque tempestatum fluctus, sed etiam propter eorum quae de iis locis feruntur novitatem, omnium laudibus celebranda. Gloriosum quippe videri debet, te unum tanti animi, tantae virtutis consiliique fuisse, ut quae nulli hactenus aut ingredi, aut tentare sint ausi, tu solus ignota maria, invitas regiones, incognitas atque efferas nationes, immanes gentes, in ultimis finibus extra anni solisque vias constitutas, ad quas nullis antea patuit accessus, navali bello lacessieris, multosque inde abduxeris captivos. Magna profecto expeditio, et ingentem laudem merita. Quid enim praestabilius, quam tantum animi robur atque amplitudinem in te fuisse, ut

importuosa litora, tempestuosum mare, efferas nationes ab omni cultu remotas non solum adire ausus fueris, quod ipsum ingentis est consilii, sed armis etiam primus omnium gentium superaris. Nam si eorum, qui proximas expugnant gentes, saepius laudantur gesta, quanto illa magis, quae adversus nationes tanto maris terrarumque ambitu disjunctas ac remotas aguntur sunt extollenda? Alexander Macedo terrarum orbem suis victoriis lustravit, sed eas provincias locaque aggressus est, ad quas plures antea accesserant. Tua vero virtus ad eas se oras orbis extendit, ad quas nemo ante te legitur penetrasse. Caesar Gallias subegit, Britanniam perdomuit, Germaniam lacessivit: at provincias armis devicit partim notas, partim romano imperio propinquas. Tua vero classis eas circuit partes, quae neque cognitae erant, neque aditu faciles, et propter maris gentiumque barbarorum formidinem navigantibus suspectae. Sed omnes difficultates, omnes lobores, omnia pericula tua fortitudo animi superavit, eaque effecit, quae sint aeternam tibi laudem paritura. Sapientissimus ac fortissimus olim princeps rex Portugaliae parens tuus hanc tibi praeclarissimam omnium reliquit haereditatem, arma contra infideles capiendi. Ipse enim singulari virtute animi praeditus, caeteris Christianis regibus in salute fidelium oscitantibus, solus ob egregiam virtutis praestantiam Africam ingenti classe adgressus, profligatis hostibus, septam maritimam ac populosissimam urbem, expugnatam vi coepit,

quae adhuc a vobis in Saracenorum faucibus detinetur. Haec tu praeclarissimi parentis gesta imitatus, non solum portionis regni, sed laudis quoque haeredem te relictum existimasti, paternaeque gloriae famam tuis operibus auctam ad posteros demandasti. Verum cum haec tanquam primitiae futurorum iis qui majora a te expectant, esse videantur, hortor excellentiam tuam, ut nequaquam gestis rebus acquiescas, sed ampliora quaedam superesse putes, quorum tibi palma et victoria reservatur. Neque enim virtus tua his quae coepisti contenta esse debet, sed traducere omnes tuas curas, omnes cogitationes, omnes vires ad subigendas eas gentes, in quarum victoria, et laus hominum sequitur, et apud Deum sempiterna praemia comparantur. Christiani enim principis officium esse debet, ut adversus infideles, adversus haereticos, contra fidei hostes arma convertat, Christifidelium sanguini parcat. Quae qui agunt, pietate et gloria insignes evadunt. Quod si, ut coepisti, imitari volueris, reliquos principes fama et rerum gestarum laude superabis.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.